

<Lib. I, Q. 5, A. 3: Utrum caritas limitata sit qualitas magis et minus suscipiens intensive>

1. Tertius articulus erat iste: utrum caritas limitata sit qualitas magis et minus suscipiens intensive. Pro cuius articuli declaratione 5 plenaria sic proceditur: primo investigabo de intensione caritativae perfectionis et generaliter cuiuslibet formae; secundo videbo de progressionе huius intensionis si sit terminabilis vel in infinitum procedens; et tertio videbo specialiter de remissione caritativae dilectionis.

10

<Art. 1: De intensione cuiuslibet formae>

2. Est igitur primo videndum generaliter de intensione cuiuslibet formae. Pro cuius declaratione¹⁵ sex pono conclusiones. Quarum prima sit ista: formae perfectionalis intensio nullatenus provenit ex sui pleniori radicativa participatione cum proprio subiectivo. Verbi gratia pro intellectu conclusionis opinio quorumdam fuit circa formarum intensionem, ut beati Thomae, sicut appareat II-II^a quæstione 24^a articulo 5^o, quod ex hoc forma dicebatur intendi quia magis radicabatur in subiecto. Unde forma ex se est simplex, sed secundum quod subiectum magis vel minus disponitur, secundum hoc magis vel minus 20 participat talem formam, et per hoc forma dicitur intendi. Sicut nunc lux in aere est simplex forma quae absque sui variatione secundum variam aeris dispositionem suscipitur magis vel minus in aere, et secundum quod lux magis vel minus radicatur in aere, secundum hoc aer apparelt magis vel minus lucidus. Et sic generaliter dicunt fieri 25 cuiuslibet formae intensionem, non quod in essentia formae sit talis variatio, sed in subiecto secundum variam participationem.

C 93ra

<Contra positionem Thomae et eius sequacium. Conclusio 1>

3. Conclusio non dicit contradictorium huius positionis quod intension non fit per huiusmodi radicationem formae in subiecto. Quae 30 conclusio sic probatur: in omni motu reali aliquid acquiritur; sed quilibet motus intensionis est motus realis; ergo in quolibet motu intensionis aliquid acquiritur. Consequentia patet. Et maior apparet, quoniam quolibet quod movetur, vel movetur ad aliquid, vel ad nihil. Non est dicendum quod ad nihil, ergo ad aliquid, et per consequens in 35 quolibet motu aliquid acquiritur. Sed minor apparet per Philosophum, V *Physicorum*, inter motus reales continuantem motum ad qualitatem qui communiter dicitur intensio. Et tunc ultra: in motu intensionis aliquid acquiritur, vel ergo idem quod prius, vel non. Si non, habetur

153,16 beati Thomae] THOMAE DE AQUINO, *Summa theol.*, II-II, q. 24, a. 5, in corp.

Philosophum] Cf. ARIST., *Physica*, V, c. 2 (AL VII-1, 198-199; E, c. 2; 226a 27-29).

conclusio quod non per maiorem radicationem formae in subiecto fit talis intensio. Si idem quod prius, contra: vel in ista nova acquisitione 40 acquiritur eadem participatio quae prius, vel alia et alia. Et tunc quaero de tali participatione: vel est quid absolutum, vel relativum. Non relativum, quia per acquisitionem infinitarum relationum Sortes non erit albior quam prius fuit. Si ergo talis participatio fit absolutum, vel est illa forma quae prius fuit, vel aliud. Si aliud, habetur 45 propositum. Si illa forma quae prius, sequitur quod nihil de novo est acquisitum, et per consequens talis non fuit novus motus realis cum per ipsum nihil sit noviter acquisitum; quare conclusio vera.

4. Praeterea, signo aliquam albedinem in aliquo subiecto et sit *a*, 50 et eius subiectum sit *b*; et tunc arguo sic: vel tota realitas *a* est in *b*, vel non. Si non, ergo aliqua pars *a* non est in subiecto, vel sequitur quod aliquod accidens est cuius medietas est in uno subiecto et alia in alio, quae tamen subiecta sunt situaliter distincta, quorum quodlibet abhorret Physica. Si detur quod sic, tunc arguo sic: quaelibet forma tante informat quante est forma in sua natura, et per consequens *a* reddit ita album *b* sicut *a* est. Tunc quaero: si Sortes fieret albior, per quid fieret albior? Non per *a*, quia per *a* est tante album quante *a* est in sua natura. Ergo necessario per aliud, et per consequens intensio non fit per huiusmodi maiorem radicationem formae in subiecto, cum tota realitas formae sit subiecto communicata; quare propositum. 60

5. Praeterea, dato conclusionis opposito, sive data praedictorum imaginatione, sequitur quod in Sorte et in Platone sunt aequales albedines, et tamen Sortes est in duplo albior Platone, et similiter quod in Sorte et in Platone sunt caritates aequales, et tamen Sortes est in duplo carior Platone. Quod primum sequatur probo: signo nunc duas albedines aequales, et sint cum aequali participatione illarum in Sorte et in Platone, tunc Sortes et Plato sunt aequaliter albi. Tunc intendatur albedo in Sorte in duplo plus quam in Platone, nulla mutatione facta in Platone. Tunc arguo sic: intensio secundum opinionem sit secundum maiorem radicationem formae in subiecto, ergo manente forma invariabili, Sortes ex maiori participatione talis formae est albior et per consequens ... huiusmodi formae sunt illae quae prius, sequitur conclusio praedicta. Et ita consimiliter posset dici de caritate et de quibuscumque aliis formis, quae tamen videntur absonta; quare propositum. 70

6. Praeterea, signo aliquod medium diaphanum aequaliter et uniformiter dispositum, et tunc approximetur sibi una candela. Tunc certum est quod ex huiusmodi approximatione aer talis est aliquante lucidus. Sit, gratia exempli, ut duo et tunc amota illa candela,

153,69 secundum^{1]}] maiorem add. sed del. C

80 approximetur tali diaphano semper in tali dispositione manente, unum corpus in duplo maioris luciditatis quam fuit primum corpus. Clarum est quod ex praesentia talis lucis tale diaphanum erit in duplo lucidius quam prius. Et per consequens manente eadem dispositione in susceptivo, illud est nunc lucidius, nunc minus lucidum. Et per
 85 consequens hoc non fit per huiusmodi radicationem seu maiorem participationem, sed potius per adventum formae intensioris. Et ita apparet quod non ex variatione susceptivi fit perfectionalis intensio qualitatum; quare propositum.

7. Praeterea, data ista positione sequitur quod intensio et
 90 remissio non est in formis, sed praecise variatio est in subiecto, sequitur quod staret unam albedinem esse in duobus subiectis, et tamen unum esse albius alio. Consequentia patet ex quo potest plus in uno subiecto radicari quam in alio. Sed consequens est falsum, quia tunc formae communicatio non esset intrinseca sed tantummodo
 95 extrinseca, sicut ignis magis videtur radicari in uno ligno bene sicco quam humidi. Unde imaginatio istorum potius fundatur super communicatione causaliter effectiva quam super communicatione formalis, quod tamen non videtur verum. Unde taliter imaginantur sicut si caperem duas aquas quarum una esset purior alia, utpote in duplo.
 100 Tunc ponendo in qualibet illarum de simili uno in quantitate et in qualitate, certum est quod magis unum radicaretur in aqua puriori quam in minus pura. Sed absque dubio ista radicatio est per modum agentis et non per modum formae, quia "actus activorum sunt in paciente dispositio."^{C 93va} Et ideo imaginatio non sequitur modum formae;
 105 quare propositum.

8. Praeterea, si formae intensio non fieret nisi per maiorem radicationem in subiecto, sequitur quod accidentia, utpote colores vel sapores in sacramento altaris, non possunt intendi. Consequens est falsum et contra experientiam de hostia noviter consecrata cuius
 110 albedo, quando hostia est recens, non videtur adeo intensa, et in processu temporis videtur albedo intensior, ut experientia docet. Et per consequens ... ibi sit albedo sine subiecto, sequitur quod ... intensio non fit per huiusmodi maiorem radicationem in subiecto, et similiter apparet in rubidine; quare propositum.

115 9. Confirmatur, nam aliquae qualitates sunt activae. Et ponatur quod Deus faciet eas sine subiecto, tunc applicetur caliditas frigiditati, certum est quod ex quo sunt propriae naturae relictae, una alterabit aliam et per consequens intendetur, et tamen per nullam radicationem

103 actus...104 dispositivo] Cf. ARIST., *De anima*, II, c. 2 (β, c.2; 414a 11-12); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 179: Actus activorum sunt in paciente praedisposito.

in aliquo subiecto; ergo non videtur quod intensio formarum fiat per huiusmodi radicationem; quare propositum.

120

<Argumenta pro radicatione formarum in subiecto>

10. Contra istam conclusionem arguo per motiva oppositum opinantium. Et primo sic: nulla forma simplex carens gradibus realiter differentibus est intensibilis vel remissibilis; sed quaelibet forma accidentalis est forma simplex carens gradibus realiter differentibus; ergo nulla talis est intensibilis vel remissibilis. Ergo ubi subiectum dicitur magis vel minus, tale hoc esse videtur propter maiorem radicationem formae simplicis in subiecto. Consequentia patet. Et C 93vb maior, quoniam intensio nil aliud videtur quam motio per varios gradus perfectionales. Et minor apparet per Philosophum, VIII *Metaphysicae*, ubi dicit quod formae sunt sicut numeri, et per consequens non potest eis fieri aliqualis additio quin mutent speciem. Et per consequens cum ipsis nulla potest fieri additio, sequitur quod carent gradibus realiter distinctis; quare propositum.

125

11. Praeterea, quaelibet ratio continens gradus realiter differentes non solum concretive sed etiam abstractive, suscipit magis et minus; sed nulla forma abstractive suscipit magis et minus; ergo nulla talis continet gradus realiter differentes, et per consequens nec est intensibilis vel remissibilis. Consequentia patet et maior apparet. Et minor est Philosophi in *Praedicamentis* ubi dicit quod iustitia non dicitur magis vel minus alia iustitia, sed tantum iustum. Et Commentator, VIII *Metaphysicae* commento 10, dicit quod forma suscipit magis et minus secundum quod est in materia; sed nullus dicit quod una albedo est magis albedo alia; et per consequens propositum.

130

12. Praeterea, si aliqua forma intenditur intrinsece secundum varios gradus, aut illi gradus distinguuntur specifice, aut tantum numeraliter. Non specifice, quia tunc caritas intensa esset composita ex gradibus diversarum rationum et sic non esset forma sed potius compositum. Si vero numeraliter, tunc sequitur quod duo accidentia eiusdem speciei essent in eodem subiecto, quod videtur contra

135

140

145

150

130 Philosophum] ARIST., *Metaph.*, VIII, c. 3 (AL XXV-3, 174; H, c. 3; 1044a 10-11); Et quemadmodum nec numerus habet magis aut minus, nec quae secundum speciem substantia, sed siquidem, quae cum materia; *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 132: Item sicut numerus non suscipit magis et minus, sic nec definitiones vel formae magis vel minus suscipiunt.

140 Philosophi] ARIST., *Categ.*, c. 8 (AL I-1, 28-29; 10b 31-11a 2).

142 Commentator] AVERROES, *Metaph.*, VIII, com. 10 (ed. Iuntina, VIII, f. 218vaGH): Non est trinitas magis trinitas quam alia trinitas, neque dualitas magis quam alia dualitas, ita forma substantialis non recipit magis et minus.

Philosophum, III *Physicorum*. Et per consequens sequitur quod talis intensio non fit nisi per maiorem

155 **13.** Praeterea, quodlibet suscipiens magis et minus est illud quod intenditur et remittitur; sed solum subiectum est illud quod suscipit magis et minus; ergo solum subiectum est illud quod intenditur vel remittitur, et per consequens hoc competit subiecto epr talem radicationem maiorem. Maior patet. Et minor similiter, quoniam de forma non dicitur variatio secundum varios gradus perfectionis, ut dicit auctor *Sex principiorum*: “Forma est compositioni contingens simplici et invariabili essentia consistens;” quare propositum.

160 **14.** Praeterea, forma unitur subiecto mediantibus suis dispositionibus; sed eadem forma manente potest subiectum magis vel minus disponi; ergo forma in subiecto suscipitur secundum dispositionem subiecti; et per consequens propositum. Consequentia patet et maior et minor appareat in exemplo de aere qui secundum quod est magis vel minus dispositus in raritate vel densitate appareat luminosior; quare propositum.

165 **15.** Praeterea, ista videtur fuisse opinio Philosophi ut recitat Simplicius in *Praedicamentis*, ubi recitata opinio stoicorum et plurium¹⁵¹ aliorum ponens opinionem Aristoelis dicit quod intensio sua fuit quod formae non suscipiunt magis et minus in se, sed ut participantur in subiecto, et per consequens hoc fit per radicationem maiorem vel minorem formae in subiecto. Et hae sunt rationes ponentium intensionem formarum non esse nisi radicationem saepius declaratam.

C 94ra

<Responsio auctoris ad haec argumenta>

170 **16.** Ad istas rationes respondeo. Ad primam conceditur maior. Ad minorem cum dicitur quod quaelibet forma caret grdibus formaliter differentibus, nego talia. Ad probationem quae est dictum Philosophi cum dicit quod formae sunt sicut numeri, dico quod ibi capit formam pro ratione specifica. Unde intensio potest intelligi dupliciter: vel gradualiter, vel specificite. Primum modum non negat Philosophus, sed secundum.

175 **17.** Ad secundum cum dicitur sed formae non suscipiunt magis et minus quod confirmatur per Philosophum, dico quod Philosophus vult per hoc quod una non est magis quam alia, sicut una albedo non est magis albedo quam alia, tamen per hoc non tollitur quin una forma

151 Philosophum] ARIST., *Physica*, III, ???

159 Sex principiorum] *Liber sex principiorum*, n. 1 (AL I-7, p. 35): Forma vero est compositioni contingens, simplici et invariabili essentia consistens; *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 306 verbatim. **177** Ad primam] Cf. supra n. 10. **184** Ad secundum] Cf. supra n. 11.

sit perfectior alia; et hoc sufficit ad intelligendum intensionem formae per graditam pluralitatem.

18. Ad tertium cum quaerit vel tales gradus sunt distincte 190
specifice numeraliter, dico quod numeraliter. Et cum dicit quod duo
accidentia eiusdem speciei essent in eodem subiecto quod est contra
Philosophum, hic dico ad mentem Philosophi quod intellexit de
accidentibus quorum quodlibet per se est una forma et non partialis
entitas. Non autem de accidentibus quae sunt partes unius formae,
nam duo lumina sunt in eodem medio quae sunt eiusdem speciei.
Unde verbum Philosophi adhuc intelligendum est de accidentibus
quae fiunt per transmutationem materialem et alternativam, cuiusmodi
non est in proposito de luminibus.

19. Ad quartum cum dicitur quod subiectum intensionis est illud 200
quod intenditur, hic dico quod aliquid intendi potest intelligi: vel per
modum constituti, vel per modum susceptivi. Primo modo forma
dicitur intendi cum ex praecedente et consequente constituitur unum
tertium. Secundo modo subiectum, quia subiectum est illud quod
alteratur, et ita suscipit magis et minus, et per istum modum absque
dubio forma non intenditur. Sed hoc non sequitur, ‘ergo hoc fit per
huiusmodi radicationem’; sed qualiter fiat, dicetur.

C 94vb

20. Ad quintum cum dicitur quod forma unitur materiae
mediantibus dispositionibus, hic dico quod ista mediatio potest 210
intelligi duplice: vel susceptive, vel dispositive. Primo modo non est
verum, quia huiusmodi dispositiones non suscipiunt formam. Secundo
modo verum est, quia disponunt ad susceptionem formae, et
secundum diversam dispositionem materiae agens producit diversam
formam. Unde in aere, si aer fit rarer|*<per>* formam. Unde in aere, si
aer sit rarer, sol producit perfectiorem lucem quam si sit densus. Et 215
ideo non est imaginandum quod agens producat perfectiorem formam
quam potest cum quibuscumque dispositionibus. Immo varietas
dispositionum in materia facit agens producere perfectiorem et
imperfectiorem formam; et sic apparet quod ratio non multum
concludit.

21. Ad sextum cum dicitur quod Simplicius dicit quod formae
non suscipiunt magis et minus, hic dico quod dato quod hoc 225
concederetur, ex hoc non concluderet intentum, quia non sequitur
‘albedo non suscipit magis et minus, ergo subiectum non dicitur magis
vel minus album nisi propter radicationem formae’; negatur
consequentia. Sed sufficit quod propter adventum alicuius formae
intensioris.

190 Ad tertium] Cf. supra n. 12. **200** Ad quartum] Cf. supra n. 13. **208** Ad quintum] Cf.
supra n. 14. **221** Ad sextum] Cf. supra n. 15.

22. Verumtamen advertendum est ad mentem Philosophi quid intelligit per suscipere magis et minus. Unde praedicata quaedam sunt
 230 essentialia et quaedam connotativa. Praedicata essentialia, de his de quibus dicuntur, non praedicantur per haec adverbia magis et minus, et hoc intelligit. Sed praedicata connotativa sic, ut appareat in istis ‘Sortes est magis albus nunc quam ante’, et sic de consimilibus. Et per hoc
 235 appareat quid est ad illas rationes dicendum. Ex quibus appareat quod formarum intensio non attenditur penes huiusmodi pleniorum radicationem formae in subiecto, et sic per consequens remanet illa prima conclusio in suo roboris firmitate.

<Conclusio 2>

23. Secunda conclusio est ista: nulla forma perfectionaliter
 240 intenditur per admissionem gradus gradus perfectioris realiter subsequentis. haec conclusio sic probatur: dato conclusionis contradicte, non sequitur quod est dare ultimum rei permanentis. Consequens est falsum, ergo contradictorium conclusionis, et per consequens conclusio vera. Consequentia probatur, nam signo certum
 245 Sortem sub certo gradu album, et intendatur albedo eius continue per horam. Tunc arguo sic: quocumque instante istius horae signato est verum dicere de albedine informante Sortem ‘haec albedo est’, et immediate post ‘haec non erit’, ergo propositum. Consequentia patet. Et antecedens declaratur: sit namque *a* unum instans intrinsecum
 250 horae datae, et quaero: numquid albedo quae pro tunc est in Sorte immediate post hoc erit, vel non? Si non, habetur propositum quod est dare ultimum rei permanentis. Si sic, hoc est contra opinionem quod albedo praecedens corrumptur per generationem subsequentis, cum illa in tali intensione duret per tempus.

255 24. Ut sic possit ratio confirmari: quaelibet albedo signata per tempus intensionis vel²⁶³ certi caloris respectu cuius se haberet certum frigus in proportione maioris inaequalitatis, et per hoc non haberetur quin multi calores qui praefuerunt remaneant subsequenter. Nec valet dicere quod hoc fit per absentiam suae causae cum ipsa sit continue
 260 praesens, nisi forsitan vellet nimis voluntariam responsionem dare dicendo quod hoc est ex influxu caeli, quia per istum modum diceretur quod nulla causa secunda in suis inferioribus agit sed praecise caelum, quod valde miserabile est talem fugam capere. Unde Commentator, VIII *Metaphysicae* commento 7, dicit de talibus qui tales responsiones

C 95ra

251 est] vel add. sed del. C

263 Commentator] AVERROES, *Metaph.*, VIII, com. 7 (ed. Iuntina VIII, f. 231ral): Et ista opinio erst valde extranea a natura hominis et qui recipiunt huiusmodi non habent cerebrum habitatum naturaliter ad bonum,

ex intentione approbant quod non habent cerebrum naturaliter habile 265
ad bonum; et per consequens conclusio remanet vera.

25. Nec potest dari quartum, videlicet quod corrumpatur a forma
noviter introducta, quia quaero quando? Vel quando est, vel quando
non est. Non quando non est, quia nihil agit quando non est. Nec
quando est, quia per positionem, primum esse istius est primum
non-esse alterius; quare propositum. 270

26. Praeterea, data ista positione sequitur quod quantecumque
magnus calor immediate producitur a quantecumque parvo calore.
Consequens est falsum, ergo et antecedens. Falsitas consequentis
patet, quoniam tunc aliquid ageret ultra gradum proprium, quod
videtur falsum, quoniam activitas rei non excedit ... eiusdem. Et
consequentia probatur, nam signo certum calorem in igne et applicetur
certo combustibili; constat, secundum Aristotelem in II *De anima*,
quod ignis in infinitum procedit donec sibi apponatur combustibile. Si
ergo est continua corruptio calorum, sequitur quod in fine calor totus
productus erit ab una scintilla immediate, quod videtur falsum, ut patet
in combustionis praediorum in quibus experientia nos docet quod
calor productus comproducit, et per consequens non corrumpitur per
adventum subsequentis, immo vigoratur. 275
280

27. Hic forsitan DICITUR quod calor productus producit, sed in
adventu subsequentis corrumpitur, CONTRA: causa et effectus sunt
simil; ergo si *a* productus calor est causa *b* producti caloris, sequitur
quod ambo manent; aliter aliquid causaret quando non est vel
produceret non-existentis, quorum quodlibet videtur impossibile; quare
conclusio praedicta remanet vera. 285
290

28. Praeterea, tamdiu Corpus Christi manet sub accidentibus
C 95rb quae apparent, quamdiu talia accidentia non] sunt corrupta; sed talia
accidentia possunt intendi, ut experientia nos docet, manente Corpore
Christi. Alter hostia remanens in pixide, quae apparet albior quam
prius non esset ut signum Corporis Christi veraciter adoranda, quod
non est tutum. Ergo potest fieri intensio est qualitatum sine
quamcumque corruptione, et per consequens non est verum quod
intensio fiat per corruptionem praecedentium partium et adventum
subsequentium. 295

29. Et confirmatur, nam species vini existens in calice per
tempus dimissa, utpote species saporis iudicatur a gustu fortior quam 300

276 rei] secundum Aristotelem in II *De anima*, quod ignis in infinitum procedit donec sibi
apponatur combustibile. Si ergo est continua corruptio *add. sed del. signis* va-cat C

278 Aristotelem] ARIST., *De anima*, II, c. 4 (β, c. 4; 416a 15-16); Auct. Arist., ed. J.
HAMESSE, p. 181: Ignis augmentatur in infinitum quoque fuerit combustibile.

prius fuit, et hoc in casu quo unum mustum consecraretur, tunc si staret per tempus, non est dubium quod veniret ad saporem vini, et tamen ibi esset Corpus Christi. Et per consequens non per intensionem sequitur formaliter productio corruptiva; quare propositum.

305 **30.** Praeterea, signo habitum caritatis in anima Sortis quae eliciat certum actum meritorium. Tunc sic ex communi sententia doctorum caritas per actus meritorios augetur; vel ergo in fine augmentationis manet caritas praecedens, vel non. Si sic, habetur propositum. Si non,

310 contra: actus meritorius praesupponit caritatem ut causam; vel ergo istam quae est per augmentum, vel aliam. Non istam, quia illa est posterior actu meritorio; ergo praecedentem. Sed constat quod non est actus meritorius nisi ex praesentia caritatis. Ergo sequitur quod caritas praeexistens totaliter manet. Declaratur ratio: actus meritorius

315 praeexigit caritatem et meretur augmentum caritatis; ergo ista sunt simul tempore, licet habeant ordinem naturalem, videlicet caritas eliciens actum meritorium, actus ipse, et caritas superaddita. Et per consequens apparet quod intensio non fit per praecedentis caritatis corruptionem; quare propositum.

320 **31.** Praeterea, ex quocumque actu meritorio quis meretur caritatis augmentum; sed non quilibet actus meritorius est aequalis alteri; ergo nec augmentum caritatis correspondens uni est aequale augmendo caritatis corresponderit alteri; et per consequens stat quod caritas acquisita per augmentum sit minor praecedente. Si ergo

325 praecedens corrumperetur in adventum subsequentis, sequeretur quod aliquis meritorie operans fieret minus carus cum per tale meritum acquiriret caritatem ut duo per cuius adventum perderet caritatem ut decem, quod videtur absurdum. Et per consequens formae perfectionalis intensio non fit per huiusmodi successivam

330 productionem; quare propositum.]

C 95va

325 **32.** Praeterea, si in motu intensionis esset continua generatio et corruptio, consimiliter in motu remissionis; sed hoc est falsum; ergo illud. Consequentia patet. Sed falsitas consequentis probatur, nam calidum per prius remittit frigidum quam corrumpat illud totaliter.

335 Tunc signo illud remisse frigidum. Secundum illam opinionem illud est noviter generatum per corruptionem praecedentis qualitatis. Tunc quaero: a quo est generatum, vel a calido vel a frigido? Non ab aliquo frigido, quia nihil tale est nisi istudmet quod se ipsum non produxit. Nec a calido, quia nullum contrarium est per se productivum sui

340 contrarii cum sit potius corruptivum. Et cum quodlibet generatum habet per se causam suae productionis, sequitur quod est remisse frigidum sine quacumque generatione per solam corruptionem partium frigidarum. Et per consequens ita potest esse in motu intensionis. Generatio sine quacumque partium praecedentium corruptione <fit>

per additionem partis ad partem; quare propositum. Ex quibus rationibus manifesta appareat praedictae opinionis falsitas, et veritas istius secundae conclusionis.

<Argumenta contra secundam conclusionem>

33. Contra quam conclusionem arguo aliquibus mediis ut veritas magis appareat de praedicta. Arguo igitur primo sic ex radicibus oppositum opinantium: termini motus sunt incompossibles; sed in augmentatione caritatis et cuiuslibet alterius formae accidentalis, terminus a quo est caritas sive qualitas praecedens, et terminus ad quem caritas subsequens; ergo sequitur quod in adventu caritatis subsequentis desinit esse praecedens. 350 355

34. Si DICATUR quod qualitas praecedens non est terminus a quo, sed negatio sive non-esse caritatis subsequentis, CONTRA: omnis motus est inter terminos positivos; sed alteratio est motus; ergo est inter terminos positivos. Et per consequens non videtur quod non-esse sit terminus a quo subsequentis qualitatis, sed potius qualitas remissa praecedens. Consequentia patet, et maior ex hoc quoniam omnis motus vel est a subiecto in subiectum, vel a subiecto in non-subiectum, vel a non-subiecto in subiectum. Primo modo est proprie motus et sic est inter terminos positivos, ut alteratio, augmentatio et secundum locum mutatio. Sed secundo et tertio modis non dicitur proprie motus, sed potius sunt mutationes, ut patet per Philosophum, V *Physicorum*. 360 365

C 95vb

35. Praeterea, prior caritas per se et non per accidens pertinet ad motum intensionis; sed omne quod pertinet ad motum intensionis, vel pertinet ut subiectum, vel ut terminus a quo, vel ut terminus ad quem. 370 Sed caritas praecedens pertinet ad motum intensionis, vel ergo ut subiectum, et hoc non; nec terminus ut ad quem; ergo ut terminus a quo. Et per consequens illa minor est vera; quare propositum.

36. Praeterea, quilibet motus habet intelligi per similitudinem ad motum localem; sed in motu locali semper primum ubi corruptitur in adventu secundi; ergo similiter in motu alterationis, semper praecedens forma corruptitur in adventu subsequentis. Consequentia patet. Et minor probatur ex imaginatione Philosophi, VI *Physicorum*, quoniam mobile non est in aliquo loco sibi aequali quando movetur nisi per instans, et per consequens nec in aliquo ubi nisi per instans, 380 375

351 termini...incompossibles] Cf. GODEFREDI DE FONTIBUS, *Quodl. II*, q. 10 et *Quodl. VI*, q. 5, ed. M. DE WULF-J. HOFFMANS (*Les Philosophes Belges*, II, p. 145 et III, p. 123).

361 omnis...363 subiectum] ARIST., *Physica*, V, c. 1 (AL VII-1, 194; E, c. 1; 225a 4-8).

367 Philosophum] ARIST., *Physica*, V, c. 1 (AL VII-1, 194; E, c. 1; 225a 8-10). **378** Philosophi] ARIST., *Physica*, VI, ???

quia quodlibet quod est in loco plus quam per instans quiescit. Cum inter quaecumque duo instantia cadit tempus medium, quare oportet quod si movetur quod habeat continue novum et novum ubi, aliter si idem ubi esset in mobili, non videretur quare magis esset in uno loco quam in alio; quare propositum.

37. Praeterea, impossibile est contraria esse simul in eodem subiecto; sed remissem calidum et intense calidum sunt contraria; ergo impossibile est ipsa esse in eodem subiecto. Consequentia et maior patent. Et minor probatur ratione et auctoritate. Nam si remissa caliditas est in eodem subiecto cum intensa caliditate, et quaelibet forma nata est suum subiectum taliter denominare, sequitur quod tale subiectum erit remisse calidum et intense calidum et per consequens remisse calidum et intense calidum quod est falsum. Auctoritate patet per Philosophum, V *Physicorum* et Commentatorem ibidem, commento 19, ubi sic dicit Commentator: "Cum igitur transmutatio fuerit de magis in minus dicetur transmutari ad contrarium, quoniam non fit minus nisi ex mixtione contrarii." Haec ille. Ex quibus habetur propositum.

38. Praeterea, in motu intensionis vel manet qualitas praecedens cum subsequente, vel non. Si non, habetur propositum. Si sic, contra: ex hoc sequitur quod casu possibili posito, immo casu qui tota die accidit, aliquid est infinitum intensive, quod non est Deus. Probatur: sit gratia exempli *a* et aliquod corpus luminosum quod causet lumen suum in aliquo luminis susceptivo in *b* instante. Tunc post *b* instans moveatur tale corpus luminosum versus luminis susceptivum. Tunc arguo sic: *a* in *b* instante creavit lumen in *c* susceptivo certae intensionis; et continue post *b* instans creavit lumen maioris vel aequalis intensionis. Sed cum infinita sint instantia inter *b* instans et quodcumque aliud, et in quolibet tali creavit tantum lumen quantum creavit in *a*, immo maius, cum agens naturale ex maiori propinquitate agat perfectius quam ex remotiori, sequitur quod si in adventu subsequentis luminis non sint corrupta praecedentia lumina quod erunt de facto infinita lumina quorum quodlibet erit aequale certo dato, et per consequens compositum ex omnibus illis luminibus erit infinitum intensive. Istud argumentum est Burlei et posset fieri generaliter de omni qualitate.

C 96ra

397 mixtione] mutatione(?) C

395 Commentator] AVERROES, *Physica*, V, com. 19 (ed. Iuntina, IV, f. 221val): Cum igitur transmutatio fuerit de magis in minus dicetur transmutari ad contrarium, quoniam non fit minus nisi ex mixtione contrarii.

39. Praeterea, quaecumque se habent quod impossibile est unum se habere per modum actus et aliud per modum potentiae, illa non possunt facere per se unum, quia “ex duobus entibus in actu non fit vere unum;” sed formae sic se habent quod quaelibet illarum est actus cui repugnat potentialitas susceptiva; ergo ex illis non potest fieri unum. Et per consequens si fiet intensio qualitatis in adventu posterioris, necessario sequitur corruptio qualitatis prioris; quod est propositum. 420

40. Praeterea, sicut se habet augmentatio in quantitate corporali, sic alteratio in qualitate; sed augmentatio in quantitate molis sic se habet quod quantitas praecedens corrumptur in adventu subsequentis; ergo et consimiliter in proposito. Consequentia et maior patent. Probatur minor: rarefiat aer, gratia exempli, et tunc quaero: aut manet quantitas praecedens, aut non. Si non, habetur propositum. Si sic, tunc 425 quaero: aut maneret secundum se totam in eodem subiecto in quo prius manebat, aut non. Si detur primum, quaero in quo subiecto recipitur quantitas adveniens: aut in isto subiecto, aut in parte subiecti, aut in aliquo alio, aut in nullo. Si in isto vel in parte eius, sequitur quod duae quantitates sunt in eodem subiecto quod talis 430 quantitas est quaedam forma separata, et per consequens non advenit isti subiecto, et similiter si in nullo alio sit. Si vero non manet prior quantitas secundum se totam in isto subiecto, ergo necessario migrat de subiecto in subiectum quod est impossibile saltem naturaliter. Et per consequens quam impossibile est aerem rarefieri sine acquisitione 435 novae quantitatis et corruptione praecedentis, tam impossibile est aliquam substantiam calefieri nisi per acquisitionem novae caliditatis subsequentis et corruptionem praecedentis; et per consequens sequitur manifeste falsitas conclusionis. 440

<Responsio ad istas rationes>

445

41. Ad istas rationes responsio. Et primo ad primam cum dicitur quod termini motus sunt incompossibles. Hic dico quod loquendo de terminis motus per se, verum est. Et cum dicitur quod caritas intensa et remissa sunt termini motus, hoc nego. Pro quo dico quod termini motus in quocumque motu se habent sicut negatio ad affirmationem ut patet in motu locali. Quando enim vado versus ecclesiam, per prius 450

419 ex...**420** unum] ARIST., *Metaph.*, VII, c. 13 (AL XXV-3, 159; Z, c. 13; 1039a 4-5): Duo namque sic actu numquam sunt unum actu; *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 130: Ex duobus entibus in actu non fit tertium in natura. **446** ad primam] Cf. supra n. 33.

C 96rb

sum in aliquo spatio antequam in ecclesia. Nunc vero tale spatium, ut positivum, proprie non dicitur⁴⁵⁵ vero tale spatium, ut positivum proprie non dicitur terminus motus, sed ut quando sum ibi, non sum in ecclesia, dicitur terminus motus. Et sic in proposito in alteratione qualitatum. Quando igitur dicitur quod motus est inter terminos positivos, nego, sed bene concedo quod motus est inter aliqua positiva. Unde bene requiritur quod sit inter duo positiva, sed non oportet quod quodlibet illorum sit per se terminus motus. Et cum dicitur quod albedo remissa requiritur, vel ergo ut subiectum, vel ut terminus, dico breviter quod divisio est insufficiens, sed bene unum requisitum quod tamen nec requiritur ut subiectum nec ut terminus, sicut appareat in motu locali. Licet enim unum spatium ante aliud requiratur in motu, non tamen ut per se terminus respectu alterius. 460 Quia, ut dictum est, per se terminus est negatio vel affirmatio illius in quem tendit mobile; quare propositum.

42. Ad secundum cum dicitur quod cum motus habet intelligi per similitudinem ad motum localem, sit in nomine Domini per aliquam, quia secundum omnem non est verum. Quoniam in motu locali non acquiritur aliqua res inexistens mobili, sed in motu alterationis sic. Et cum dicitur quod corpus non potest esse nisi in uno ubi ita quod in adventu secundi desinit esse primum, dico quod ubi secundum imaginationem aliquorum non est forma absoluta sed est quidam respectus consurgens ex praesentia mobilis in loco sibi adaequato quando movetur, et tunc isti respectus variantur secundum variationem mobilis, et ita non se habent sicut tales duae formae quae requiruntur ut duo positiva. Si vero ubi non sit talis respectus, secundum Ochan sed est quidam connotativus terminus connotans mobile esse in aliquo loco in quo immediate ante hoc non fuit nec 475 immediate post hoc erit, adhuc non habetur intentum, quia caritas praecedens et caritas subsequens non sic se habent. Et ideo argumentum illud a simili claudicat uno pede; quare etc.

43. Ad tertium cum dicitur quod impossibile est contraria esse simul in eodem subiecto, quidquid sit de hoc, non est pro nunc cura, et 480 ideo transeat. Ad minorem, cum dicitur quod intense album et remisse album sunt contraria, istam nego de virtute sermonis. Verumtamen, quia allegatur Philosophus et Commentator quod dicant oppositum,

460 ut²] trinus add. sed del. C

456 Quando...dicitur] Cf. supra n. 34. **467** Ad secundum] Cf. supra n. 36. **478**
secundum Ochan] GUIL. OCKHAM, *Scriptum in I Sent.*, d. 30, q. 2, ed. G. ETZKORN-F.
KELLEY (OTh IV, 324-325); eiusdem, *Quodl. VII*, q. 6, ed. J. WEY (OTh IX, 721-723).
483 Ad tertium] Cf. supra n. 37.

dico quod nil aliud volunt nisi quod isti duo termini, ‘album intense’ et ‘album remisso’, de se invicem non praedicantur propter connotationes terminorum, non tamen vult per hoc quod res importata per magis album sit contraria rei importatae per minus album, cum utraque sit albedo quarum neutra repugnat alteri. Sed ipsorum intellectus est ille iam expressus, et sic argumentum⁴⁹⁰ parum concludit.

C 96va

44. Ad quartum cum dicitur de illo corpore luminoso respectu alicuius luminis susceptivi, admisso casu non sequitur quod intendit. Et ratio est, quia licet in *b* instante sit ita quod lumen certae intensionis iam est causatum ab *a* corpore, non tamen in *b* instante tale lumen est secundum se et quodlibet sui et numquam aliquid eius praefuit, quia non est dare primum in quo tale susceptivum est illuminatum, quia si nunc sit aliquante illuminatum per prius tale susceptivum secundum aliquam partem talis luminis erat illuminatum, et ideo in nullo instanti potest assignari aliquid acquisitum taliter quin aliquid ipsius per prius fuit acquisitum. Et per hoc non habebit quod cuilibet instanti correspondebat tantum lumen quantum nunc est verum dicere quod est in *b* instante.⁴⁹⁵

45. Et si DICATUR quod in tali intensione est verum dicere in quolibet instanti quod hoc medium est magis illuminatum quam prius et per consequens cuilibet instanti correspondet maius lumen quam correspondebat *b*, hic DICO quod licet in quolibet instanti sit verum quod tale susceptivum habet intensius lumen quam prius, per hoc non habetur propositum. Et ratio est, quia per hoc non excluditur lumen praecedens. Sicut nunc in motu locali recedendo ab aliquo loco continue, verum est quod sum magis distans quam prius. Et per consequens est verum dicere in aliquo instanti quod hoc pertransitum est maius quam prius fuerit. Verumtamen illud non excludit praecedens spatium, et sic est in proposito; quare etc.⁵⁰⁰

46. Ad quintum cum dicitur quod ex his quae non se habent per modum actus et potentiae non constituunt vere unum, dico quod si hoc universaliter intelligitur, nego⁵⁰⁵

47. Pro quo est advertendum quod partes concurrentes ad invicem, licet sic se habeant quod una non est actus alterius, ut patet in continuo, tamen una est alteri compossibilis, et ideo ambae sunt in potentia ad constitutionem unius tertii, non tamen una est actus et alia potentia, sicut sumptis duobus liquoribus eiusdem speciei, ex ipsis ad invicem mixtis resultat unum quod est vere unum, et non per hoc quod una pars sit potentia et alia actus, sed praecise modo iam declarato.⁵¹⁰

48. Ex quo apparet quod omnis compositio ex materia et forma praesupponit compositionem partium, et non e contra. Nam materia

490

495

500

505

510

515

520

525

494 Ad quartum] Cf. supra n. 38.c **517** Ad quintum] Cf. supra n. 39.

530 prima habet partes intrinsecas, et tamen non est composita ex materia et forma. Similiter accidentia habent compositionem partium et non ex materia et forma. Unde argumentum quasi imaginatur quod nulla sit possibilis compositio nisi illa quae fit per materiam et formam, quod falsum est.

535 **49.** Et ad dictum Philosophi: ex duobus existentibus in actu non fit vere unum, sic est illa propositio intelligenda:] ex duobus existentibus in actu quorum neutrum est in potentia ad aliud nec alteri compossibile, nonfit vere unum; sed ita non est in proposito; quare etc. C 96vb

540 **50.** Ad sextum cum dicitur quod sicut est in augmento quantitatis molis, ita in augmento qualitatis, et ponitur casus de rarefactione, hic dico quod augmentum in quantitate fit dupliciter. Uno modo per additionem partis ad partem, ut patet in animalibus in quibus fit crementum per hoc quod alimentum, sive sit intrinsecum sive sumptum ab extrinseco, convertitur in naturam rei allendae. Addo 545 intrinsecum vel extrinsecum, quia licet animal noviter generatum non sumeret cibum, posset tamen per aliquale tempus suscipere crementum ex conversione humorum existentium in corpore, ut apparet in pueris in quibus maior est proportio quantitatis augmentatae quam sit sumptio cibi. Alio modo fit augmentum in quantitate, non per mutationem acquisitam vel deperditivam alicuius realitatis inexistentis, sed praecise per extensione materiae, ut patet in rarefactione et per oppositum in condensatione quae fit per coangustationem materiae ubi nulla realitas inexistentis deperditur vel acquiritur.

555 **51.** Ad propositum igitur applicando, si loquamur de primo modo augmentationis, non procedit argumentum. Si vero secundo modo, dico quod rarefactio et alteratio habent similitudinem et differentiam; similitudinem, quia sicut in rarefactione nulla realitas corrumpitur, ita in intensione nulla realitas corrumpitur. Sed est in hoc 560 differentia, quia in intensione vera qualitas acquiritur, non autem in rarefactione.

52. Et si DICATUR quod sic hic dico quod, secundum opinionem Ochan, leve est respondere, quoniam quantitas non est res

536 actu] non fit vere unum add. sed del. signis vac-at C **557** similitudinem...558 differentiam] inv. sed corr. signis transp. C **559** ita...corrumpitur²] in ima fol. C

534 dictum Philosophi] Cf. supra n. 39. **539** Ad sextum] Cf. supra n. 40. **563** Ochan] GUIL. OCKHAM, *Tractatus de quantitate*, qq. 1-3, ed. C. GRASSI (OTh X, pp. 3-85); eiusdem, *Tractatus de corpore Christi*, cap 30, ed. C. GRASSI (OTh X, pp. 162-171); eiusdem, *Quodl. IV*, q. 25-26, ed. J. WEY (OTh IX, pp. 416-433).

distincta a substantia vel qualitate. Et ideo ibi quantitas quae prius occupabat minorem locum, nunc occupat maiorem sine quacumque acquisitione alicuius realitatis intrinsecæ.

53. Secundum vero oppositum opinantium diceretur forsitan quod non oportet quod sit omnimoda similitudo. Verumtamen posset dici quod prima quantitas manet et ex adveniente et subsequente fit una tertia sicut dicitur de qualitatibus, ita proportionaliter de quantitatibus diceretur, et sic remanet adhuc illa conclusio vera. Ex quibus apparet quod talis qualitatum intensio non fit per continuam successivam corruptionem.

<Conclusio 3>

54. Tertia conclusio est haec: formae perfectionalis intensio nullatenus provenit per depurationem sui a contraria qualitate. Haec conclusio sic probatur: aliqua forma est intensibilis et remissibilis cui nihil est contrarium; ergo talis formae intensio non provenit per depurationem a contraria qualitate. Consequentia patet! Et antecedens probatur, quoniam lux est forma non habens contrarium, et tamen quandoque videmus aerem magis lucidum, quandoque minus; ergo propositum. Similiter scientia potest intendi et tamen non habet contrarias qualitates, similiter visio. Et universaliter, si oppositum conclusionis esset verum, nulla qualitas non habens contrarium posset intendi vel remitti; vel si posset, eius intensio non attenderetur penes huiusmodi depurationem; quare propositum.

55. Praeterea, dato conclusionis opposito, sequitur quod nulla forma augmentaretur nisi sua contraria augmentaretur. Sed hoc consequens est falsum, ergo et antecedens. Falsitas consequentis patet. Sed consequentia sic probatur: quoniam ex hoc forma tunc, per oppositum opinantem, intenditur quia depuratur a suo contrario; sed quante unum depuratur ab alio, tante et reliquum; ergo si ista sit ratio intensionis, ita vere intenditur unum contrarium sicut reliquum. Et per consequens impossibile est unum augmentari contrarium sine alio, quod falsum videtur.

56. Praeterea, ex opposito conclusionis sequitur quod in eodem subiecto est tota latitudo albedinis, et similiter in eodem est tota latitudo nigredinis; sed hoc videtur falsum; ergo conclusio vera. Consequentia probatur, nam signo Sortem album, et volo quod intendatur eius albedo usque ad summam. Tunc quaero: vel Sortes acquiret aliquem gradum albedinis extrinsecus advenientem, vel non. Si sic, ergo intendetur eius albedo, non per depurationem a suo

C 97ra

582 scientia] non add. sed del. C | habet] habent C **594** augmentari contrarium] inv. sed corr. signis transp. C

contrario. Si non, ergo et cum continue fiebat segregatio sine depuratione a suo contrario, sequitur quod ambae latitudines erant ibi, quod videtur absurdum.

57. Praeterea, ex contradictorio conclusionis sequitur quod aliquis est carus Deo qui non est carus Deo; sed hoc est impossibile; ergo conclusio vera. Quod autem sequatur probo: sit Sortes in caritate et intendatur eius caritas. Tunc arguo sic: ex hoc intenditur talis caritas quia depuratur a suo contrario; sed contrarium caritatis est mortale vitium; ergo sequitur quod iste simul et semel erat in peccato mortali et in caritate, et per consequens erat carus Deo et non erat carus Deo quod est impossibile; quare propositum.

58. Praeterea, si Deus anihilaret totam frigiditatem, vel omnia essent aequa calida, vel non. Si non, vel unum potest esse aequa calidum cum alio. Non est dicendum quod non, quia hoc videtur inconveniens, cum utrumque illorum sit debitum susceptivum caloris. Si ergo sic, sequitur quod intendetur sine quacumque depuratione a suo contrario. Et per consequens frustra nunc talis ratio assignatur.

59. Si DICATUR quod tunc omnia essent aequa calida, CONTRA: vel ignis esset eiusdem causalitatis cum igne vel non. Si non, habetur propositum. Si dicatur quod sic, hoc est contra naturam talium elementorum. Nec ex hoc quod Deus facit unum supernaturale, sequitur aliud impertinens praeter naturam. Et per consequens sequitur quod dato quod Deus hoc faceret, non minus cetera servarent ordinem suarum naturarum; quare propositum.

60. Praeterea, quidquid est de formali ratione alicuius per quodcumque sibi accidentale, non tollitur sibi intrinsecum et essentiale, sed formam esse tanti gradus est sibi intrinsecum; ergo quamvis admiscetur cum alio, non minus habet illud, et quamvis ab eodem disgregetur, non minus habet illud. Et per consequens talis non est formae intensio sed potius maior apparitio, ut appareat in mixtione vini et aquae in quibus, si fieret separatio, non minus esset unum quam prius fuit; et per consequens propositum.

61. Praeterea, ex contradictorio conclusionis sequitur quod ubicumque esset forma sine admixtione sui contrarii quod ipsa esset summa. Consequens est falsum, ergo et antecedens, et per consequens conclusio vera. Consequentia probatur, nam ex hoc forma intenditur quia depuratur a suo contrario, et per consequens forma quae est totaliter depurata est summa. Sed falsitas consequentis probatur, quoniam signo ignem in sphaera sua. Constat quod ille ibi est a suo contrario depuratus, aliter non esset simplex elementum sed mixtum; sed constat quod non omnes partes eius sunt aequalis intensionis; ergo non quaelibet pars eius est et cum sit separata a suo contrario, sequitur propositum.

C 97rb

62. Praeterea, ex contradictorio conclusionis sequitur quod aliquis continue sit albior aliquid positivum continue perdendo et nihil acquirendo; sed hoc consequens videtur falsum, ergo conclusio vera. Consequentia probatur, quoniam ex hoc aliquis fit albior quia eius albedo continue magis deperatur a suo contrario. Tunc quaero: in tali depuratione vel manet nigredo sicut prius, vel non? Si sic, non plus videtur depurari nunc quam ante. Si non manet, sequitur quod talis continue corrumpitur et cum talis erat in tali subiecto per prius, sequitur quod continue talis fiat albior per solam corruptionem et nullam acquisitionem, quod non videtur verum; quare propositum. 650

63. Unde imaginatio istorum est sicut si in uno vase esset pisa et fabae, et ex hoc quod plus proicerem de pisis melius apparerent fabae. Sic in eodem subiecto sunt contraria, sed per agens applicatum si sit conforme uni contrario, destruit continue aliud, et sic depurat illud. Quae imaginatio ut apparuit, multum deficit; quare conclusio vera. 660

<Argumenta contra conclusionem tertiam>

64. Sed contra istam conclusionem videntur esse quaedam auctoritates. Prima est Aristotelis, III *Topicorum*, dicentis quae contrariis sibi impermixtiora sunt magis talia ut albius quod nigro impermixtius. 665

65. Similiter Commentator, V *Physicorum* commento 19, dicit quod nihil fit minus album nisi ex mixtione contrarii.

66. Similiter beatus Augustinus, 83 Quaestionum quaestione 36, dicit venenum caritatis est cupiditas, ubi enim est magna caritas ibi parva cupiditas, ubi autem nulla cupiditas, ibi perfecta caritas. Unde et 670 *Ad Bonifacium*: "Minuitur cupiditas, caritate crescente," quare conclusio falsa.

<Responsio ad auctoritates>

67. Ad istas auctoritates respondeo. Ad primam dico quod Aristoteles capit ibi impermixtionem pro distantia seu dissimilitudine, 675 sicut dicimus duo similia esse magis mixta quam duo dissimilia, ut sit

663 Aristotelis] ARIST., *Topica*, III, c. 5 (AL V-1, 59; Γ, c. 5; 119a 27-28): *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 325: Illud est albius quod nigro est impermixtius. **666** Commentator] AVERROES, *Physica*, III, com. 19 (ed. Iuntina IV, f. 221val): Quoniam non fit minus nisi ex comixtione contrarii, verbi gratia, quoniam id quod est magis album, quod transmutatur ad minus album. **668** Augustinus] AUGUST., *De diversis quaest.* 83, q. 36 (CCL 44A, ???; PL 40, ???): Caritatis autem venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium nutrimentum eius est imminutio cupiditas; perfectio nulla cupiditas. **671** Ad Bonifacium] AUGUST., *Enchiridion de fide, spe et caritate*, cap. 32 (CCL 46, 67; PL 40, 247): Minuitur autem cupiditas caritate crescente. **674** Ad primam] Cf. supra n. 64.

sensus suaे propositionis quae sunt suis contrariis impermixtiora, id est magis dissimilia sunt magis talia. Et per hoc non habetur quod quaerebat opinio.

680 **68.** Ad auctoritatem Commentatoris dico quod Commentator capit ibi mixtionem contrarii pro privatione. Verbi gratia, illud continue fit minus album quod magis suscipit privationem albedinis. Istaе glossae sunt in rei veritate fratris Petri Aureoli, Ochan et Gregorii.

685 **69.** Ad auctoritatem vero Augustini dico quod aliqua cupiditas stat cum caritate et aliqua non, utpote venialis stat, sed mortalis minime. Vult ergo Augustinus dicere quod cum caritate quandoque remanet venialis cupiditas quae quandoque est venenum caritatis dispositio ex qua nascitur mortale quod tollit caritatem. Vocat etiam 690 quandoque beatus Augustinus cupiditatem pronitatem ad malum quae minuitur caritate crescente, et si non quoad habitum tamen quoad actum. Et sic appareat quod adhuc illa conclusio remanet in veritate.

<Conclusio 4>

695 **70.** Quarta conclusio est haec: nullius formae intensio provenire dignoscitur per sui egressum de potentia ad perfectionem aliquam non-distinctam. Verbi gratia, pro intellectu conclusionis imaginabantur aliqui quod ex hoc aliquid intendebatur quia illudmet erat in potentia ad talem perfectionem, ut potentiale pedale est potentialiter tripedale. Et ideo per applicationem agentis sine 700 quacumque acquisitione alicuius realitatis, illud quod erat pedale postmodum fit bipedale, sicut dictum fuit in formatione mulieris de costa viri. Et similiter dicunt in multiplicatione grani et intensione formarum. Et breviter nil aliud est ibi intensio nisi egressus rei de potentia ad actum; et remissio nil aliud est quam regressus de actu ad 705 potentiam, ubi nihil reale distinctum acquiritur. Dicit ergo praedicta conclusio huius opinionis contradictorium quod huiusmodi intensio per modum iam expressum nullo modo videtur fieri. Quae conclusio sic probatur: si aliqua forma aggrederetur per huiusmodi egressum, sequitur quod aliquid movetur ad acquirendum se ipsum. Consequens 710 est falsum, ergo et antecedens. Falsitas consequentis patet ex hoc, quoniam impossibile est mobile esse in *a* termino ad quem et moveri ad *a* terminum ad quem, quia si movetur ad *a* terminum, non est in *b* ibi. Et si mobile est ipse *a* terminus, sequitur quod non movetur ad *a*. Patet igitur falsitas consequentis saltem loquendo naturaliter. Sed 715 consequentia probatur quia in tali moto quaero: vel acquirit aliquid, vel nihil? Non est dicendum quod nihil, quia motus semper est ad

C 97vb

680 Ad auctoritatem] Cf. supra n. 65. **685** Ad auctoritatem] Cf. supra n. 66.

aliquid. Si ergo acquirit aliquid: vel se ipsum, vel a se distinctum. Si a se distinctum, habetur intentum quod non fit intensio nisi ad aliquid distinctum. Si ad se ipsum, habetur illa conclusio impossibilis quod aliquid movetur ad acquirendum se ipsum; quare propositum.

720

71. Praeterea, quodlibet quod educitur de aliquo est materia respectu eius; sed gradus inferior non est materia respectu superioris; ergo gradus superior non educitur de inferiori. Consequentia patet et maior videtur nota ex ratione materialis principii. Sed minor probatur, quoniam quodlibet quod educitur de aliquo est actus et forma respectu illius; sed gradus superior non est actus vel forma superioris, quia sic essent duo gradus essendi quod est contra positionem; ergo propositum.

725

72. Praeterea, omnis gradus eiusdem rationis in continuo intensionali motu videtur produci uniformiter quoad motum; sed caritates existentes in anima meritorie operantis sunt eiusdem rationis; ergo ipsae videntur uniformiter quoad motum produci. Cum igitur una ipsarum producatur per creationem, sequitur quod et quaelibet earum, et per consequens non per extractionem huiusmodi potentia ad actum. Consequentia patet. Et maior patet ex hoc, quoniam quae sunt eiusdem rationis habent, vel saltem habere possunt, causas easdem vel similes; quare propositum. Et minor est de se nota; quare propositum.

730

73. Praeterea, quidquid extrahitur de aliquo est ab eo realiter distinctum. Si ergo gradus superior extrahitur de inferiori, sequitur quod gradus superior est ab inferiori distinctus, et per consequens huiusmodi extractio non fit per aliquid non-distinctum, quod est contra istam positionem. Consequentia patet et minor est opinionis. Sed probo maiorem; quaero: quando talis gradus superior extrahitur ab inferiori, vel ipsem est gradus inferior, vel non? Si non, habetur propositum. Si sic, ergo idem extrahitur a se ipso et per consequens est causa sui ipsius. Unde si forma educeretur ab agente a se ipsa, idem esset sui ipsius causa materialis, quod est falsum.

735

74. Praeterea, si gradus superior extrahitur a gradu inferiori, quaero numquid etiam extrahitur ex potentia sui subiecti, vel non? Si sic, ergo sequitur quod respectu eiusdem sint duo principia materialia, et per consequens idem actus diversorum subiectorum, quod videtur impossibile saltem naturaliter. Si vero non extrahitur de potentia subiecti, sequitur quod naturaliter staret sine subiecto. Probo istam consequentiam, quoniam ex quo nullam dependentiam habet a tali subiecto, quoniam non in genere causae efficientis ut apparent, nec formalis similiter, nec finalis, nec materialis, ut dicit responsio, nec est

740

745

750

755

C 98ra

743 talis] casus add. sed del. C

pars eius vel condicio vel intrinseca; ergo non videtur ratio quare non staret naturaliter sine subiecto.

75. Praeterea, quaecumque sunt eiusdem rationis, unum non est
 760 in potentia ad aliud; sed gradus inferior et superior sunt eiusdem rationis; ergo unus non est in potentia ad aliud. Consequentia patet. Et maior declaratur, quoniam impossibile est differentias immediate dividentes aliquod commune esse eiusdem rationis, – et sumo hic rationem non transcenderent sed specifice; sed actus et potentia sunt
 765 differentiae dividentes ens; ergo non sunt eiusdem rationis. Et per consequens illa quae sunt eiusdem rationis non se habent per modum actus et potentiae; quod est propositum. Et minor apparet, quia si gradus inferior non esset eiusdem rationis cum superiori sed alterius, sequitur quod sunt distincti specie, et per consequens numquam unus
 770 erit alius, quod est contra positionem istam; quare propositum.

76. Praeterea, dato conclusionis opposito, sequitur quod inter materiam et formam nulla est realis distinctio. Consequens videtur falsum, ergo et antecedens. Consequentia probatur, quoniam signo aliquam pedalem quantitatem. Constat per positionem istam quod ista
 775 pedalis quantitas est in potentia ad decem pedalia. Fiat ergo ista augmentatio per positionem, nihil acquisitum est distinctum ab aliquo praecedenti; ergo sequitur quod est illud idem quod prius; sed constat quod acquisitum in fine alicuius productionis, vel est terminus totalis, vel formalis. Si totalis, sequitur quod hoc totum categorice prius non
 780 fuit, quod est contra positionem. Si sit terminus formalis et prius fuit, sequitur quod terminus formalis et materialis sunt eadem penitus indistincta. Vel si distincta, habeo quod talis motus non sit sine nova acquisitione; quare propositum.

77. Praeterea, dato conclusionis contradictorio, sequitur quod
 785 una scintilla ignis comburit actualiter¹ totum mundum. Consequens videtur insanum sive fatuum; quare propositum. Probatur consequentia, nam per positionem in tali augmentatione nihil novi
 acquiritur, sed praecise est exitus de potentia ad actum qui est ipsamet scintilla, tunc crescat per horam ad quantitatem pedalis. Et tunc sic: in
 790 fine illius horae, vel est id quod prius, vel non. Si non, habeo propositum. Si sic, sequitur conclusio intenta. Et consimiliter posset argui de una alia hora, et breviter esset in quantitate tantus ignis quod totum mundum occuparet, et tamen non esset nisi una scintilla.

78. Nec valet si DICATUR quod non vocatur amplius scintilla,
 795 hoc NIHIL est dictu, quia non agimus de nomine sed de re significata quae est eadem quae prius; quare propositum.

79. Ex quibus appetat manifeste quod formarum intensio non fit per huiusmodi extractionem continuam sine quacumque distinctione; quare etc.

<Argumenta contra conclusionem quartam>

800

80. Sed contra istam conclusionem arguitur sic: quidquid tendit per motum ad aliquam perfectionem intrinsecam, necessario in fine illius motus est perfectio; sed in omni motu intensionis qualitas tendit ad perficiendum se intrinsece; ergo de facto in fine talis motus ipsam est illa perfectio, et per consequens propositum. Consequentia patet et minor similiter. Declaratur maior, quoniam illud quod tendit ad aliquam perfectionem intrinsecam, vel postmodum est illa perfectio, vel non. Si sic, habetur propositum. Si non, ergo hoc non est perfectius intrinsece quam prius fuit, et per consequens per acquisitionem cuiuscumque alterius ita est imperfectum intrinsece sicut fuit, et ita non appetet quod talis qualitas moveatur intrinsece non plus quam faciat mobile cum acquirit spatium quod est sibi extrinsecum, quod est falsum; quare propositum.

81. Praeterea, ex hoc forma fit intensior quia perfectior; sed si in tali motu forma praevia non sit in fine perfectior quam ante, sequitur quod nullo modo movebatur intensive, et per consequens non intendebatur, quod est falsum, quoniam illud dicitur intendi quod est subiectum talis mutationis sicut appareat in motu locali; sed subiectum mutationis intensivae est ipsa qualitas; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior probatur, quoniam in tribus generibus ponitur motus proprie dictus, scilicet quantitate et qualitate et ubi; quare propositum.

82. Praeterea, si illud quod videtur habere minorem realitatem transit in perfectiore realitatem sine quacumque acquisitione alicuius realitatis distinctae, a fortiori et illud quod habet perfectiorem realitatem potest transire in perfectiorem realitatem sine quacumque acquisitione alicuius realitatis distinctae, dum tamen tale sit perfectibile; sed illud quod est in potentia obiectiva Dei est tale; ergo propositum. Probatur minor, quoniam illud quod est in potentia obiectiva Dei, utputa Sortes quando proderit in esse actuali, vel est ipsem Sortes, vel non. Si non, ergo sunt duo Sortes, unus obiectivus, et alter realiter existens, quod videtur absonum; et per consequens est ipsem Sortes de imperfectiori ad perfectius procedens; ergo similiter in proposito albedo remissa postmodum efficitur albedo intensa.

<Responsio ad istas rationes>

810 et...811 intrinsece] *iter. sed corr. signis va-cat C* **813** propositum] praeterea add. sed del. C

820 ponitur motus] ARIST., *Physica*, V, c. 1 (AL VII-1 196; E, c. 1; 225b 8-9); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 152: Motus tantum est in tribus praedicamentis quae sunt quantitas, qualitas et ubi.,

835 **83.** Ad istas rationes respondeo. Et primo ad primam cum assumitur: quidquid tendit ad aliquam perfectionem intrinsecam, necessario in fine illius motus est illa perfectio, hic dico, propter terminorum aequivocationes, quod iste terminus ‘perfectio intrinseca’ potest sumi multipliciter. Quandoque pro eo quod significatur per definitionem rei vel partem definitionis, et sic dicimus quod aequalia et superiora sunt perfectiones intrinsecae ut homini homo et animal substantia et sic de talibus. – Quandoque pro eo sine quo talis res non potest existere, et sic dicimus partes essentiales rei, utputa materiam et formam, esse perfectiones intrinsecas compositi. – Quandoque pro eo quod significatur per propriam passionem rei, et sic dicimus aptitudinem ridendi esse intrinsecam homini.

840 **84.** Ad propositum igitur, si illa maior capiatur primo modo, tunc si sit condicionalis, sensus est si aliquid tendit ad aliquid quod significatur per suam definitionem vel partem eius, in fine talis motus est illud absque dubio, ista condicionalis vera est, sed eius antecedens est impossibile quod aliquid non habeat sibi intrinsecum tali modo et tendat in illud. Et sic minor est falsa, quia qualitas tendit per istum modum, quia quam primo est, habet quidquid est sibi intrinsecum isto modo. – Si autem capiat perfectionem intrinsecam secundo modo, 845 adhuc minor non est vera, quia qualitas non sic tendit. Et dato quod esset aliquid quod sic tenderet, tunc maior esset falsa quod in fine talis motus sit illa perfectio, sicut si compositum tenderet per motum ad suam formam, adhuc non fieret talis forma. – Si tertio modo, non est ad propositum. Ergo non videtur quod gradus remissior tendat ut fiat intensior, quia si sit gradus ut unum et postmodum esset duo, numquam esset ille qui prius fuit. Et per consequens apparet qualitercumque capitur perfectio intrinseca, ratio nihil habet colorem; quare propositum.

850 **85.** Ad secundum cum dicitur quod ex hoc forma fit intensior quia perfectior, hic dico pro materia argumenti ad videndum qualiter sit iste motus intensionis quod in omni motu generaliter sunt tria consideranda, videlicet terminus, spatium et mobile; spatium vero a termino qui distinguitur in terminum a quo et in terminum ad quem non differt realiter sed ratione, quia tales termini sunt in ipso spatio 855 tamquam partes quae simul sumptae sunt ipsum spatium. Sed universaliter inter mobile et spatium, respectu cuius mobile movetur, videtur realis distinctio. Unde in motu intensionis, mobile est subiectum susceptivum talis qualitatis; sed qualitas se habet per modum spati quae acquiritur per mobile, et sicut in motu locali

C 98vb

835 ad primam] Cf. supra n. 80. **864** Ad secundum] Cf. supra n. 81.

mobile acquirit continue spatium, sic in motu intensionis mobile 875
acquirit continue talem qualitatem.

86. Unde deceptio istorum provenit ex hoc quod putant talem
qualitatem esse mobile principaliter quod non est verum. Et cum
dicitur quod sic, quia in tribus generibus reperitur iste motus, dico
quod verum est terminative. Unde semper mobile est ipsa substantia 880
quae quandoque movetur ad substantiam, et sic non est proprie motus
sed potius dicitur mutatio; quandoque movetur ad quantitatem, et sic
dicitur augmentatio; quandoque ad qualitatem, et sic est alteratio;
quandoque ad locum et sic dicitur ad ubi. Sic ergo, quia actiones
denominantur a fine et motus sunt quaedam actiones, ideo 885
denominantur a fine. Et propter hoc dicuntur esse in tribus generibus,
non quod significata formalia talium praedicamentorum sint substantia
sed potius terminum. Et sic apparet quod subiectum proprie cuiuslibet
motus est ipsa substantia, loquendum naturaliter. Verum est quod
supernaturaliter videmus oppositum in descensu accidentium in 890
sacramento altaris in quo talia permanent sine subiecto; quare
propositum.

87. Ad tertium quod tangit de esse obiectivo quod illud capit
esse per realem existentiam non-distinctam, dico, sicut alias dixi in
quadam quaestione parva quasi extravaganter facta, quod tale esse 895
obiectivum non videbatur esse nisi divina essentia realiter, sed erat
creaturae repraesentativum. Non ergo tale esse fit quovis modo
existentia creaturae, sicut nec esse divinae substantiae fit existentia
creaturae. Et ideo talis imaginatio decipit opinantes, putantes quod
illud esse intentionale secundum quid, fiat postmodum in actuali 900
existentia sine acquisitione alicuius novae realitatis. Unde ex hoc
sequeretur quod ita vere creatura esset aeterna in actuali existentia
sicut Deus, et consimiliter quod numquam creatura crearetur, quae
tamen omnia videntur absurdia; quare propositum.

88. Et si QUAERATUR quomodo ergo perficitur una qualitas in
tali intensione? DICO breviter quod intrinsece non dicitur perfici talis
C 99ra qualitas sicut nec materia, immo est essentialiter talis qualis prius. Sed
per hoc dicitur perfici quia sibi perfectiori videtur: vel per modum
suscipienda informationis, vel per modum continuationis, vel per
modum applicationis. Primo modo ut materiae conforma; secundo 910
modo ut partes perfectiores et imperfectiores saltem gradualiter
concurrentes ad constitutionem tertii; tertio modo ut obiecti cum
potentia. Et quilibet istorum modorum et perfectio extrinseca respectu
alterius et aliter nullo modo. Et per hoc apparet quod in intensione

878 cum dicitur] Cf. supra n. 81. **893** Ad tertium] Cf. supra n. 82. **894** alias dixi] Cf.
PETRI DE CANDIA, *Quaest. ???*

915 qualitatis non fit talis egressus de potentia ad actum sine quacumque realitatis distinctae acquisitione.

89. Et ad fundamentum istius positionis de multiplicatione costae imaginandum est quod sicut agentia naturalia sine mutatione formalis apparentiae secundum rationem faciunt maiorem quantitatem per conversionem alimenti, ut patet in arboribus et animalibus quae retinent formam sed mutant quantitatem. Ita universalis conditor rerum multiplicabat costam materialiter et similiter grana quando abiit transmare Galileae absque mutatione apparentiae formalis. Et per hoc non oportet dicere quod hoc fiebat sine quacumque partium acquisitione reali.

90. Et si DICATUR: unde veniebant illae partes quantitativae? POTEST dici quod creative veniebant transeuntes tamen in ipsam costam eo modo quo alimentum transit in naturam rei alendae. Et per hoc appareat quod alia est materialis multiplicatio, alia formalis. Unde 930 cum unitate formali stat multiplicatio materialis. Quod non advertentes distinguere, decepti sunt opinantes quia viderunt puerum parvum effici magnum et retinentem unitatem formalis apparentiae, iudicaverunt nullam esse in augmentatione huiusmodi realitatis distinctae acquisitionem. Et sic remanet praedicta conclusio in 935 veritate, videlicet quod huiusmodi formarum intensio non fit per egressum saepius nominatum; quare etc.

<Conclusio 5>

91. Quinta conclusio est haec: nulla forma intenditur per partes virtuales non signabiles intentionaliter tantummodo differentes. Haec 940 conclusio ponitur contras opinionem dicentium quod intensio et remissio formarum fit per appositionem vel subtractionem partium non realiter differentium, sed tantummodo ratione. Unde imaginantur quod gradus intensior continet virtualiter remissionem, et ideo in intensione non acquiritur aliquid realiter distinctum a gradu remissiori 945 sed praecise distinctum secundum rationem tantum, quia gradus inferior et remissior differunt tantummodo ratione, sicut in homine vegetativum, sensitivum et intellectivum differunt ratione tantum et nullo modo realiter, et tamen intellectivum est gradus^{C 99rb} intensior quam sit vegetativum vel sensitivum.

950 <Arguitur pro ista conclusione aliquibus mediis>

92. Sed contra istam opinionem et pro conclusione mea arguo aliquibus mediis. Et primo sic: signo *a* albedinem et intendatur per horam. Tunc quaero: in fine illius horae vel *a* albedo est perfectior quam prius fuit, vel non. Non est dicendum quod non, quia secundum opinionem continue acquiruntur gradus intensiores in tali motu intensionis. Si sic, contra: signo gradum qui correspondebat *a* albedini

in principio horae datae, et sit *b*. Et signo gradum acquisitum in fine horae datae per modum intensionis, et sit *c*. Tunc arguo sic: *a* albedini correspondet nunc *b* gradus et similiter *c*, et *b* et *c* sunt idem realiter et per *b* *a* albedo non est perfectior quam prius fuerit, ergo nec per *c* a 960
albedo erit perfectior quam prius fuerit, et per consequens per talem motum intensivum *a* albedo non est perfectior quam prius fuerit. Quod autem per *b* non sit perfectior *a* albedo quam prius fuerit appareat manifeste, quia per idem totaliter per solum transitum temporis non fit quid perfectius et perfectius. Aliter diceretur faciliter quod Sortes per animam suam intellectivam sit continue essentialiter perfectior per solum transitum temporis, quod est falsum; quare propositum.

93. Praeterea, in tali motu intensionis vel acquiritur aliquid quod prius non fuit, vel non. Si non acquiritur aliquid quod prius non fuit, nec acquiritur aliquid praeeexistens cum illud iam fuerit acquisitum, 970 sequitur quod nihil acquiritur et per consequens nihil movetur cum per quemlibet motum aliquid acquiratur.

94. Si vero dicatur quod sic: sit illud *a* et sit gratia exempli qualitas quae acquisivit *a* gradum *b*, tunc arguo sic: *b* prius fuit, sed *b* est *a*, ergo *a* prius fuit, et per consequens falsum est quod *a* est acquisitum quod prius non fuit quod autem *b* sit *a* probatur, quia *a* et *b* sunt idem realiter, ergo *a* est *b*. Consequentia patet, quia sequitur *a* non est *b*, et quodlibet illorum est, ergo *a* et *b* differunt realiter. Et per consequens ex opposito si *a* et *b* non differunt realiter et quodlibet illorum est, sequitur quod *a* est *b*. Et antecedens est opinionis ponentis 980 tales gradus intentionaliter solum differre; quare etc.

C 99va

95. Praeterea, quaecumque sunt idem realiter in creaturis, sic se habent quod quidquid de uno illorum praedicatur, et de reliquo similiter praedicatur. Sed secundum sic opinantes gradus intensionis et remissio differunt tantummodo ratione, et sic sunt idem realiter. Ergo 985 quidquid dicitur de gradu inferiori, dicitur de gradu remissori et e contra. Et tunc ultra: sed de gradu remissori dicitur quod non continet gradum remissorem saltem habendo respectum ad eundem gradum; ergo et de gradu intensioni dicetur quod non continet gradum remissorem, et per consequens non se habent per modum continentis et contenti, ut vegetativum respectu sensitivi, et sensitivum respectu intellectivi. Unde si quis bene avertet, ista opinio coincidit radicaliter cum priori. Quapropter illa argumenta possent contra istam opinionem induci, et ideo non arguo amplius contra ipsam. Ex quibus appetit 990 praetactae opinionis falsitas, et veritas istius quintae conclusionis.

995

<Argumenta contra conclusionem quintam>

974 sic] sed *b* est *a* ergo add. sed del. signis va-cat C

96. Contra tamen istam conclusionem arguo ex motivis oppositum opinantium. Et primo sic: quaecumque sunt eiusdem rationis specificē, sic se habent quod inter illa non est ordo essentialis, 1000 et ubicumque inter aliqua non est ordo essentialis, ibi necessario illa sunt aequalis perfectionis. Ergo signatis duabus qualitatibus, intensa videlicet et remissa eiusdem rationis, sic se habent quod una non est perfectior alia. Sed si augmentatio sive intensio fieret per partes realiter distinctas eiusdem rationis, necessario illud quod plures partes 1005 tales in se contineret, esset perfectius alio non tot partes continente, quoniam quodlibet compositum ex duobus aequalibus est duplum ad quodlibet illorum. Si ergo sit talis partium realis additio, sequitur quod ipsum est in duplo perfectius sua medietate, et per consequens etiam in duplo perfectius aliquo aequali suae medietati. Et per consequens si 1010 fieret augmentatio per partes differentes realiter, non salvaretur aequalitas perfectionis essentialis in aliquibus distinctis. Quare necesse est ad salvandum formarum simplicitatem et rationem intensionis quod hoc fiat per partes virtuales non signabiles intensionaliter tantummodo differentes; quod est propositum.

97. Praeterea, quandocumque aliqua dividunt primo et per se aliquod commune, illa sic se habent quod numquam unum est aliud, ut patet de corporeo et incorporeo quae dividunt substantiam, similiter de rationali et irrationali quae dividunt animal. Sed generatio loci, mutatio, alteratio et augmentatio dividunt motum, ut patet V 1020 *Physicorum*; ergo numquam unum est aliud et per consequens nec umquam intentio, quae est alteratio, est generatio. Sed constat quod in generatione est acquisitio alicuius novae realitatis. Ergo hoc non potest esse in augmentatione sine intensione, aliter si in intensione esset acquisitio verae realitatis de novo, sequitur quod intensio esset 1025 generatio, quod iam dictum est esse falsum, et per consequens intensio fit tantummodo per partes virtuales ratione tantummodo differentes.

98. Praeterea, si intensio non fit per partes non signabiles virtuales ratione tantummodo differentes sed per reales, quaero: aut tales praecedentibus sunt essentiales, aut accidentales? Si essentiales, 1030 ergo praexistentes non possent esse sine subsequentibus, quod falsum est, cum ante motum intensionis essent sine eis. Si vero accidentales, ergo praecedentes cum subsequentibus non faciunt aliquid per se unum, pro eo quod albedo non est quid essentialie substantiae, sed accidentale. Et per consequens de necessitate oportet quod fiat 1035 formarum intensio per partes tantummodo virtuales; quare etc.

C 99vb

1019 V *Physicorum*] ARIST., *Physica*, V, c. 2 (AL VII-1, 198-199; E, c. 2; 226a 26-33); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 152: Motus in qualitate dicitur alteratio. In quantitate dicitur augmentatio vel diminutio. In ubi dicitur locatio vel secundum locum mutatio.

<Responsio ad ista argumenta>

99. Ad istas rationes respondeo. Et primo ad primam quae tangit radicaliter quod inter individua non est ordo essentialis. Hic dico quod si ordo essentialis dicat perfectionem secundum magis et minus, falsum est. Nam secundum articulum anima Christi et anima Iudae sunt eiusdem speciei, et tamen perfectior est intrinsece, anima Christi ipsa anima Iudae. Et ita diceretur de duabus albedinibus, intensiore videlicet et remissiore. Unde forsan quaelibet species continet latitudinem gradualem; sed de hoc suo loco dicetur. Sed quia argumentum tangit ulterius quod tunc aliquid eiusdem speciei est in duplo perfectius alio eiusdem speciei per hoc quod est duplum ad suam medietatem, hic dico quod hoc argumentum tangit de perfectione extensiva, et hoc verum est quia albedo per totum uniformis per aliquod subiectum extensa sic se habet quod est dupla ad suam medietatem, sed hoc est extensive et non intensive; quare 1040
1045
1050 propositum.

100. Ad secundum quod tangit in virtute quod si fieret acquisitio per partes differentes realiter quod tunc non esset differentia inter generationem et intensionem, quod est falsum cum dividant primo et per se motum, hic dico pro materia argumenti quod generatio potest tripliciter accipi. Uno modo pro productione alicuius compositi per se subsistentis, ut est productio animalium et mixtorum. Alio modo pro productione alicuius rei quae non est terminus totalis sed formalis alicuius producti per se subsistentis, ut est productio formae substantialis. Tertio modo pro productione alicuius rei noviter 1055
1060 existentis, sive sit per se subsistens sive alteri inhaereat.

C 100ra

101. Ad propositum igitur applicando, dico quod accipiendo primo modo generationem et secundo, sic nullo modo generatio est intensio, physice saltem loquendo. Sed accipiendo tertio, sic dico quod in omni intensione est necessaria talis generatio, et hoc diceret Philosophus quia in qualibet tali est acquisitio partis noviter existentis. Et isto modo augmentatio sive intensio et generatio non dividunt tamquam immediatae differentiae ipsum motum. Sed primo modo, secundum viam Aristotelis, ut sub aliis verbis differant istae mutationes secundum differentias acquisitorum, non secundum hoc quod est aliquid acquirere, nam si sit respectu substantiae vocatur proprie generatio, si respectu quantitatis vocatur augmentatio, si vero 1065
1070

1037 ad primam] Cf. supra n. 96. **1040** secundum articulum] Cf. R.HISSETTE, *Enquête sur les 219 Articles Condamnés à Paris le 7 Mars 1277*, art. 147 (Louvain-Paris 1977, p. 227); D. PICHÉ-C. LAFLEUR, *La Condamnation Parisienne de 1277*, art. 124 (Paris, Vrin 1999, p. 116): Error, quia sic anima Christi non esset nobilior anima Iudae. **1052** Ad secundum] Cf. supra n. 97.

respectu qualitatis vocatur intensio et remissio sive alteratio alicuius rei. Et sic appetet quod argumentum istud procedit ex aequivocatione talis termini ‘generatio’; et per consequens propositum. Si vero respectu loci, vocatur motus localis. In omnibus tamen istis mutationibus intelligitur aliquid commune, hoc videlicet quod est nova acquisitio alicuius rei, et sic appetet quod argumentum istud procedit ex aquivocatione talis termini generatio; et per consequens propositum.

1075 **1080** **1085** **1090** **1095**

102. Ad tertium cum quaeritur de huiusmodi adveniente: vel est praecedenti substantiale vel accidentale, hic dico quod iste terminus ‘accidentale’ multipliciter accipitur: quandoque absolute, quandoque relative sive per comparatione ad aliud. Primo modo idem est quod quaelibet res quae non est substantia. Secundo modo potest sumi duplicitate secundum quod duplicitate potest operari: vel ad illud cum quo concurrit constitutive, vel ad illud constitutum. Verbi gratia, potest quis quaerere de forma respectu materiae vel de forma respectu compositi. Primo modo compositionis idem est quod non-intrinsicum; secundo modo idem est quod intrinsicum. Dico ergo quod qualitas adveniens praecedenti est accidentalis, id est non extrinseca ergo non faciunt per se unum, sed bene sequeretur, si quis caperet accidentale primo modo primae divisionis, sicut non sequitur forma substantialis non est intrinsicata materiae, ergo ipsa non faciunt per se unum. Si vero tale adveniens comparetur ad constitutum, sic est sibi essentiale, quia talis qualitas resultans sine tali qualitate non posset esse, sicut nec homo sine anima intellectiva. Et sic appetet quod formarum intensio non fit per tales partes virtuales ratione tantummodo differentes; quare etc.

1100

<Conclusio 6>

1105 **1110**

103. Sexta conclusio, licet proprie et de virtute sermonis, nulla sit formarum perfectionalis intensio, tamen talis formarum intensio intellecta communiter provenit ex additione gradus ad gradum, utroque totaliter et realiter permanente. Ista conclusio quoad primam sui partem sic declaratur: quoniam illud quod perfectionaliter intenditur, si quod esset, primo est aliquante perfectum et consequenter magis perfectum. Sed constat quod nulla forma est primo aliquantae perfectionis et postmodum maioris loquendo de perfectione intrinsicata; ergo propositum. Consequens patet. Et minor ex hoc, quoniam si primo esset ut duo et consequenter ut tria, et hoc intrinsicata, non esset idem quod prius; quare propositum.

C 100rb

1081 Ad tertium] Cf. supra n. 98.

104. Et per hoc appareat quod tales propositiones de virtute sermonis sunt falsae, videlicet ‘forma suscipit magis et minus’, ‘forma intenditur’, ‘forma remittitur’, ‘forma augmentatur’, et sic de sibi consimilibus, licet ista bene posset concedi ‘forma habet latitudinem’, quia per ipsam nil aliud intelligitur quam quod forma habet partes, quod verum est. Et per hoc appareat quod quando communiter dicitur intendatur *a* albedo vel remittatur, totum hoc potius est intelligendum imaginarie quam realiter, quae imaginationes admittendae sunt, cum non faciant difficultatem in illo nisi praecise secundum plurium partium participativam acquisitionem vel deperditionem. Et per hoc appareat ulterius quod isti termini ex communi usu loquentium possunt dupliciter accipi: uno modo prout significant aliquid nunc esse aliquante perfectum, et post hoc magis vel minus perfectum. Alio modo prout significant aliquid per aliquid dici tale vel tale et per aliquid simile sibi additum dici magis tale. Primo modo absque dubio nulla est formarum intensio vel remissio. Secundo modo sic quod per aliquem gradum albedinis Sortes dicitur albus et per alium additum dicitur albior. Secundum primum modum intelligitur prima pars istius conclusionis. Secundum vero secundum intelligitur secunda pars praefatae conclusionis. Quae pars secunda taliter intellecta sic probatur: sicut se habet lux respectu proprii susceptivi, sic et quaelibet alia qualitas; sed intensio taliter intellecta fit per additionem lucis ad lucem in aere; ergo et in aliis qualitatibus consimiliter est censendum. Consequentia et maior patent. Et minor declaratur per experientiam, quoniam ex praesentia certae candelae, aer de nocte redditur aliquante lucidus, et ex additione alterius candelae redditur aer lucidior, ut frequentissime in studio experimur. Ergo talis intensio provenire convincitur ex acquisitione lucis ad lucem; quare propositum.

105. Praeterea, sicut se habet augmentatio ad quantitatem, sic intensio ad qualitatem; sed sic se habet augmentatio ad quantitatem quod ipsa fit per additionem partis ad partem; ergo et consimiliter erit in motu intensionis; quare propositum. Consequentia patet. Et maior appareat ex consimili habitudine motuum. Sed minor probatur, quoniam videmus certum animal pedalis quantitatis, et consequenter ipsum videmus quantitatis quinque pedalium. Vel ergo hoc provenit ex additionis partis ad partem et habetur intentum, vel ex egressu de potentia ad actum sine quacumque acquisitione realitatis, quod superius est sufficienter improbatum. Et per consequens hoc fit per additionem partis ad partem; quare propositum.

106. Praeterea, omnis physica consideratio trahit originem ab experientia quae est nobis prima magistra, ut patet per Aristotelem, *I Posteriorum* in principio. Sed experientia docet aperte huiusmodi intensionem fieri per additionem partis ad partem; ergo propositum.

C 100va

- 1155 Minor declaratur in ponderibus ubi plumbum additum plumbo per modum cuiusdam massae reddit motum naturalem velociorem, et per consequens indicat gravitatem intensiorem, quoniam qualis videtur ceteris aliis paribus proportio velocitatis ad velocitatem, talis videtur gravitatis ad gravitatem, et per consequens ex motu velociori possumus arguere intensiorem gravitatem, supposito quod talis motus praecise principietur a forma intrinseca talium gravium. Similiter appetat in caloribus qui fiunt per additionem partis ad partem, ut patet ad sensum; quare propositum.

107. Omnes vero rationes improbantes alias opiniones faciunt pro ista conclusione, et ideo non curo plures adducere. Similiter rationes probantes alias opiniones sunt contra istam conclusionem quas, quia solvi, non curo plures adducere. Sic igitur appetat qualiter est intelligenda caritatis intensio et generaliter cuiuslibet formae..

108. Unde advertendum est specialiter circa intensionem caritatis quod potest tripliciter intelligi secundum quod additio potest fieri tribus modis: quandoque additum est perfectius, quandoque minus perfectum, quandoque aequale. Nam viator, quando meretur, non semper meretur aequalem caritatem illi quam habet; sed quandoque minorem, quandoque maiorem et quandoque aequalem. Et secundum hoc potest esse caritatis triplex intensio quae potest his nominibus nuncupari, videlicet intensio adaequativa, suppositiva et praepositiva. Adaequativa aequalis, suppositiva minoris et praepositiva perfectioris. Et sic posset, qui vellet, dicere respectu aliarum formarum.

109. Verumtamen physice non videtur ista distinctio habere locum, quia agens naturale, quamvis agat ex parte sua uniformiter, tamen passum non recipit actionem uniformiter sed potius veriformiter diffomiter, quia intensius agit in partem sibi propinquiore quam remotiore, et ita proportionaliter educit calorem qui respectu totius subiecti intenditur veriformiter diffomiter. Non curo me dilatare in illa materia, sed sufficit ostendere quod talis distinctio non habet locum physice sed potius theologice, quia Deus infundit nunc maiorem caritatem in voluntate quam fuerit praehabita, nunc minorem, nunc aequalem iuxta meritorum proportionem.

1190

<Dubium aliquod: Argumenta Petri Aureoli>

1152 Aristotelem] ARIST., *Anal. Post.*, I, c. 1 (AL IV-1, 5; 71a 1-2): Omnis doctrina et omnis disciplina intellectiva exs praexistente fit cognitione.

C 100vb

1195

1200

1205

1210

1215

1220

1225

1230

110. Sed nunc restat declarare dubium non parum materiae declarativum, videlicet de partibus additis concurrentibus ad constitutionem unius caritatis. Numquid ipsae ex se sint vere caritates et quomodo concurrunt ad faciendum unum? Pro quo declarando est advertendum quod duplex inter sapientes diversitas reperitur: una est specialis, altera vero communis. Imaginatur namque specialiter dominus Petrus Aureoli quod realitas illa secundum quam minor caritas intenditur, non potest esse integra caritas et praecisa distincte participans realitatem aut rationem specificam quasi unum individuum caritatis; sed participat realitatem et rationem caritatis per quandam reductionem ut quasi possit dici concaritas. Talis autem realitas est omnino impraecabilis re et intellectu, unde non est per se factibilis etiam per divinam potentiam sic quod capiat esse praecisum et demonstratum, nec est intuitive per se intelligibilis sed cointelligibilis tantum, ita quod intellectus angelicus non posset caritatem augmentatam dividere intuitive in duas partes caritates, sed semper caritas nota occurrit sibi ut aliquid cui additum est aliquid caritatis et non ut caritas. Et consimiliter est imaginandum de omnibus aliis formis qualitativis seu quantitativis.

111. Cuius imaginationis positio probatur ab eo aliquibus rationibus, sed sufficit tres tantum recitare fortiores. Quarum prima est, quia dato positionis contradictorio, sequitur quod inter omnes illas partes nulla est unitas numeralis. Consequens est falsum, ergo propositum. Probatur consequentia, quoniam si quaelibet illarum partium sit realitas praecabilis, sequitur quod quaelibet illarum habet propriam unitatem et per consequens non plus ex ipsis fieret unum quam fieret ex Sorte et Platone unus homo, pro eo quod quodlibet illorum per se habet propriam unitatem, et per consequens cum ex eis fit vere unum, sequitur propositum.

112. Praeterea, si quaelibet illarum partium esset sic praecabilis et habens propriam unitatem, sequitur quod sunt infinitae actualiter distinctae. Consequens videtur falsum, ergo etc. Et consequentia patet, quoniam si fieret intensio continue per horam cuilibet instanti illius temporis corresponderet aliqua realitas quae prius non correspondebat. Si ergo quaelibet esset sic seorsum intelligibilis, sequeretur quod essent infinitae actualiter distinctae, quia quaelibet illarum est individuum talis speciei habens suam ultimam actualitatem et unitatem; quare propositum.

C 101ra

113. Praeterea, si huiusmodi partes faciunt unum, quaero qua unitate faciunt unum: aut unitate compositionis, aut continuationis, aut aggregationis? Non compositionis, quia una non se habet per modum materiae et alia per modum formae nec continuationis, et hoc non quia talis provenit ex simultate ultimorum, cuiusmodi non est in proposito

1235 saltem de caritate cum sit forma simpliciter indivisibilis. Nec est unitas aggregationis, quia sic essent infinitae actualiter per se distinctae, quod falsum est. Ergo relinquitur quod tales partes concurrunt ut realitates imprecisibiles fundantes penitus omnimodam unitatem per modum cuiusdam mutuae indistinctionis.

1240 **114.** Ex quibus dictis infertur triplex proposicio. Prima quod tale additum in augmento caritatis non est proprie caritas; secunda quod tale additum non potest per se fieri sine eo cui additur, quia ex sua natura est realitas impraecisa; tertia quod huiusmodi realitas non est seorsum conceptibilis sine priori. Et haec est sua intentio in materia ista per quam, ut dicit ipse, salvantur formae numeralis unitas ipsius simplicitas et tollitur actualis rerum infinitas. Et similiter salvatur motus continuitatis, et breviter omnia requisita ad intensionem formarum isto modo salvantur pulcherime.

<Contra positionem Petri Aureoli>

1245 **115.** Sed contra istam positionem breviter arguitur et ponetur modus intelligendi communis in materia ista. Arguo igitur primo sic contra illud dictum quod tale additum non sit caritas. Tale additum vel est eiusdem rationis cum praecedente, vel non. Non est dicendum quod non, quia tunc talis forma non esset simplex sed composita ex realitatibus diversarum rationum, sicut homo vel lapis et sic de aliis. 1250 Si sic, tunc facio istam rationem: quaecumque sunt eiusdem rationis, quidquid per se et quiditative praedicatur de uno et de reliquo eiusdem speciei; sed caritas praedicatur de tota caritate et similiter de praecedente; ergo si subsequens est eiusdem rationis, sequitur quod praedicabitur et de tali subsequente, et per consequens est vera caritas 1255 sicut prima; quare propositum.

1260 **116.** Praeterea, contra secundum dictum arguo sic, et probo quod tale additum potest fieri sine praecedente per divinam potentiam: quaecumque sunt aliqua eiusdem rationis quorum neutrum est pars alterius, si unum illorum potest fieri sine altero, eadem ratione potest 1265 destrui sine altero. Sed illud quod praecedit et illud quod subsequitur sunt eiusdem rationis, et neutrum est pars alterius, et illud quod praecedit potest fieri sine subsequente, quia antequam esset additum, sic erat. Ergo et potest destrui sine subsequente, quo facto remaneret illud additum per se et realitas praecisa. Ergo non videtur impossibile 1270 quare tale additum non possit in esse per se sine alio produci; quare propositum.

1235 per se] *scrip. pos. distinctae sed corr. signis transp.* C **1236** distinctae] res *add. sed del.* C **1259** tali] consequente *add. sed del.* C

1251 illud dictum] Cf.supra n. 110. **1262** tale additum] Cf.supra n. ???

117. Praeterea, contra tertium dictum quod tale additum non sit
 C 101rb seorsum conceptibile arguo sic: sit ita[¹²⁷⁶] quod angelus videat certam
 caritatem. Et tunc signo visionem intuitivam praecisam et adaequatam
 illius caritatis quam Deus conservet continue in intellectu angelico et
 consequenter augmentet Deus illam caritatem quam augmentationem
 ostendat angelo intuitive. Et arguo sic: in fine augmentationis iste
 angelus habet cognitionem intuitivam partis praecedentis quae, per
 positum, conservata est a Deo continue, et similiter habet cognitionem
 intuitivam de toto residuo cum vidit intuitive totam augmentationem.
 Ergo iste angelus potest intuitive dividere inter subsequens et
 praecedens, ut possit sic ratio confirmari. Unumquodque sicut se habet
 ad esse, sic ad cognosci; sed ita est quod talia duo sunt ab invicem
 realiter distincta; ergo et sic possunt cognosci. Et per consequens non
 videtur ratio quare ab angelo non possit quodlibet eorum distincte
 videri; quare propositum.

118. Est igitur augmentatio communiter approbata quod in
 augmentatione caritatis quaelibet realitas adveniens est vera caritas,
 sicut in compositione aquae appareat quod quaelibet pars quantitativa
 aquae est aqua, et ita similiter est dicendum de aliis formis ita quod
 quaelibet pars albedinis est albedo. Nec obstat compositio et unio,
 quia tales non offerunt praedicationem specificam unitorum quando
 talia unita sunt eiusdem rationis. Et quia ita est in proposito de caritate
 et aliis formis accidentalibus, ideo fatendum est quod quaelibet pars
 suscipit denominationem specificam sui totius, quia pars et totum sunt
 eiusdem rationis. Unde sicut compositio seu partium unio ...
 existentiam sive realitatem talium partium. Sic etiam non impedit
 praedicationem specificam quae de toto dicitur vel de aliqua parte dici
 de qualibet parte simpliciter. Et sic apparent quod talis pars est vere
 caritas, et similiter quod est a Deo per se producibilis et ab intellectu
 angelico seorsum conceptibilis; quare propositum.

<Ad argumenta pro prima opinione>

119. Ad argumenta igitur pro prima opinione facta. Ad primum
 cum dicitur quod si tale adveniens est vera caritas, sequitur quod ibi
 non est unitas numeralis quia tunc ibi quaelibet talis pars esset
 individuum caritatis et per consequens habens propriam unitatem, hic
 dico breviter quod unitas, ut alias dixi, potest sumi dupliciter: uno
 modo pro indivisione a se, et sic est unitas absoluta; alio modo pro

1276 caritatem] quod *add. sed del.* C

1272 contra tertium] Cf. supra n. 112. **1282** Unumquodque...283 cognosci] Cf. ARIST., *Metaph.*, II, c. 1 (AL XXV-3, 44; a, c. 1; 993b 30-31): Quare unumquodque sicut se habet ut sit, ita et ad veritatem. **1291** Nec obstat] Cf. supra n. 113.

divisione ab alio, et sic est respectiva. Dico igitur quod ibi non est nisi
 1310 una unitas secundo modo dicta, quia non est nisi una caritas quae non
 est pars alterius; ceterae vero sunt partiales entitates totius caritatis.
 Sed accipiendo unitatem primo modo, sic dico quod sunt ibi infinitae
 unitates quia infinitae realitates quarum quaelibet est a se indivisa,¹³¹⁵ et
 talis unitas non impedit quin ex multis talibus resulset vere unum, et
 sic quaelibet illarum recipit rationem specificam et individualem
 modo praeexposito, ut patet in partibus continui. Non ergo est simile
 de Sorte et de Platone et de talibus caritatibus sive formis
 accidentalibus.

120. Et per hoc patet ad secundum cum dicitur quod ibi essent
 1320 infinitae realitates quarum quaelibet haberet propriam unitatem. Si
 capiatur unitas primo modo, utique verum est; si secundo modo, non.
 Unde nunc in continuo infinitae sunt partes actualiter existentes sed
 non ab invicem separatae, et tamen quaelibet illarum sicut est entitas,
 ita est unitas, quia a se indivisa, licet non sit divisa a quocumque alio,
 1325 cum sit cum alio simul; quare propositum.

121. Ad tertium cum quaeritur si faciunt illae partes unum qua
 unitate, vel compositionis ex materia et forma, vel continuationis, vel
 aggregationis, hic dico pro materia argumenti quod partes ipsius
 1330 caritatis, cum sint indivisibles, non concurrunt per modum
 continuationis ad constitutionem tertii, ut appareat in continua
 quantitate. Nec etiam concurrunt ut materia et forma, quia ibi una pars
 non est subiectum alterius. Nec per modum aggregationis, quia ibi non
 salvatur ratio per se unitatis, sed imaginanda est una unitas quae non
 1335 est aliqua illarum in qua partes se totis concurrunt ad constitutionem
 tertii sine susceptibilitate subiectiva unius ad alterum. Unde talis
 videtur media inter unionem formae et materiae et unionem
 continuationis. Nam in unione formae et materiae sic est unio quod
 ipsae partes se totis uniuntur, ita quod non est imaginabilis situs
 1340 aliquis in quo sit forma sine materia nec materia sine forma. Et ideo se
 totis uniuntur, tamen ibi unum remanet ut potentia respectu alterius. In
 unione vero continui, partes non se totis uniuntur, sed secundum sua
 ultima remanet tamen quaelibet pars quaedam actualitas et non una
 modum potentiae et alia per modum actus.

122. Accipiendo igitur actualitatem utriusque partis concurrentis
 1345 in ratione unionis continuae, et accipiendo concursum talem unitivum
 secundum esse totale ab unione formae et materiae, sic erit unio media
 inter istas quae potest vocari unio homogeneitatis. Et talis est inter
 caritatis partes concurrentes ad sui constitutionem, ubi quaelibet pars
 alteri se tota unitur. Et sic appareat quod divisio non erat sufficiens in

C 101va

1319 ad secundum] Cf. supra n. ??? 1326 Ad tertium] Cf. supra n. ???

quaerendo. Voco autem istam unionem homogeneitatis propter 1350
 rationem communem homogenei quae competit isti unitati, videlicet
 C 101vb quod quaelibet eius pars est eiusdem rationis cum toto.] Et per hoc
 potest apparere qualiter cum tali unitivo concursu partium
 distinctarum salvatur formae simplicitas et similiter unitas, et
 excluditur omnis motus discontinuitas seu infinitas actualis. Et sic 1355
 appareat qualiter potest intelligi formarum intensio accipiendo
 intensionem large et communiter dictam. Et istud sufficiat ad praesens
 pro intelligentia praedictorum.

<Art. 2: An intensio caritatis sit terminabilis. Conclusio 1>

123. Nunc restat pro complemento istius articuli videre de 1360
 secundo et tertio, videlicet si caritas et quaelibet alia qualitas sit in
 infinitum augmentabilis, et consequenter si sit diminuibilis. Et pro
 primi declaracione quatuor pono conclusionis. Quarum prima sit ista:
 non est possibile aliquam caritatem existere supremam possibilem et
 ipsam fore certis limitibus circumscripsum. Haec conclusio sic 1365
 probatur, quoniam si aliqua sit suprema possibilis et finita, sit gratia
 exempli *a*, et sit caritas increata *b*. Tunc quaero: aut inter *a* et *b* est
 aliqua caritas possibilis aut non? Si sic, habetur propositum quod *a*
 non fuit suprema possibilis. Si non, ergo sequitur quod *a* caritas est
 immediata possibilis *b* caritative. Ergo quantumlibet imaginarie *a* 1370
 cresceret, *a* fieret *b*, et per consequens *a* per prius erat infinita caritas
 quod est contra suppositum. Et consequentia probatur, quoniam
 quandocumque aliqua sic se habent quod non est possibilis additio
 quantecumque parva respectu unius quin sit ita perfectum sicut aliud
 quantecumque unum illorum cresceret, esset statim ita perfectum sicut 1375
 aliud. Sed si talis caritas sit immediata possibilis increatae caritati,
 sequitur quod non est possibilis additio realiter vel imaginarie respectu
a quin fiat aequale *b*. Et per consequens quantecumque *a* cresceret,
 mox fieret ita perfectum sicut *b*, quare a erat infinitum, quod est contra
 suppositum; et per consequens conclusio vera. 1380

124. Praeterea, si *a* creata caritas est immediata possibilis *b*
 increatae caritati et est finita, sequitur quod increata caritas distat
 solum finite a non-esse simpliciter, quod est falsum, quia tunc increata
 caritas esset finita. Sed consequentia probatur, nam increata caritas est
 immediata *a*; sed *a* solum distat finite a non-esse simpliciter; ergo et *b*. 1385

1372 quod] erat *add. sed del.* C

Consequentia patet. Et minor, quoniam per positum *a* est finita caritas et per consequens finite distat a non-esse simpliciter, quia quante est, tante distat; et per consequens impossibile est quod *a* sit caritas suprema possibilis et tamen finita; quod est propositum.

1390

<Conclusio 2>

125. Secunda conclusio est haec: quocumque gradu in latitudine caritativae dilectionis imaginarie assignato, possibilis^{1]} est gradus intensior per imperium inobliquabilis voluntatis. Haec conclusio sic

C 102ra

1395

probatur, quia si certo gradu caritatis signato per imperium omnipotentis voluntatis non posset produci perfectior, aut hoc est ratione sui, aut ratione subiecti proprii, aut ratione Dei. Non primo modo, quia non repugnat sibi quod aliqua caritas sit perfectior ea quia si Deus unam aliam sibi aequalem produceret et ambas uniret, caritas resultans videretur perfectior. Nec ratione subiecti, quia ipsum est infinitae capacitatibus. Nec ratione Dei, cum ipsius potentia non terminetur ad maximum in quod potest et maxime per maximum finitum, quia sic esset finita. Et per consequens non videtur ratio quin quocumque dato Deus possit perfectiorem producere; quare propositum.

1400

126. Praeterea, signo aliquem gradum caritatis in tali latitudine, et quaero an Deus secundum denominationem caritativam excedit talem gradum signatum, vel non? Si sic, eadem ratione quaero de

quocumque alio. Et si detur quod sic, habetur propositum, quia ratio caritativae dilectionis est infinita. Si vero dicatur quod non, sequitur

1410

quod denominatio caritativae dilectionis Deo correspondet tantummodo finitae, quod est absurdum. Et consequentia patet, quoniam secundum talem denominationem non excedit finitum nisi finite; quare propositum.

<Conclusio 3>

1415

127. Tertia conclusio est haec: quacumque caritatae finita signabili vel signata possibilis est remissior caritas formaliter limitata. Haec conclusio sic probatur: quaelibet caritas vel est alicuius intensionis vel infinitae remissionis. Non est dicendum quod infinitae remissionis, quia ex hoc sequuntur duo impossibilia. Primum quod

1420

quaelibet res alicuius intensionis sit infinita, vel quod continuum componitur ex indivisibilibus. Probo consequiam, nam sit *a* aliquid infinitae remissionis, et sit *b* aliquid alicuius intensionis. Et arguo sic: *b* excedit *a* per finitam medietatem perfectionaliter intensive, et similiter per medietatem medietatis, et sic in infinitum, cum quaelibet

¹ 1396 ratione^{2]} scrip. pos. proprii sed corr. signis transp. C 1401 ad] extra per add. sed del. C

talis sit certae intensionis; et *b* est finita perfectio in rerum natura; ergo 1425
 sequitur quod *b* infinite excedit *a*; et sic potest argui de quocumque
 alicuius intensionis.

128. Si vero dicatur quod sunt tantum partes finite intensivae,
 sequitur aliud quod continuum fit ex indivisibilibus compositum, et
 per consequens quelibet caritas est alicuius intensionis, et ita nulla est 1430
 remississima, et ita quacumque data, possibilis est remissior, et talis
 erit formaliter limitata; quare propositum.

C 102rb **129.** Praeterea, iuxta proportionem meritorum est proportio
 caritatum; sed nullum est possibile minimum meritum; ergo 1435
 propositum. Consequentia patet. Et minor¹ probatur, quoniam
 quodlibet meritum est actus voluntatis; sed quilibet actus voluntatis
 producitur ex aliquali conamine quod non est minimum; ergo
 propositum. Probatur illa minor, nam signo actum productum et sit *a*,
 et signo tale conamen voluntatis et sit *b*. Tunc arguo sic: *b* excedit *a* et
 non indivisibiliter, ergo divisibiliter. Et per consequens per 1440
 medietatem illius excessus potuisset *b* conamen producere aliquid
 maius *a*, et per consequens *b* non est minimum possibile conamen.
 Quod autem *b* excedat a probatur: nam vel *b* est aequale *a*, vel minus,
 vel maius. Non aequale, quia tunc a proportione aequalitatis 1445
 proveniret actio. Nec minus a fortiori, quia tunc proveniret actio a
 proportione minoris inaequalitatis. Ergo sequitur quod *b* excedit *a*, et
 per consequens quocumque tali caritativo habitu dato, contingit dare
 remissiorem.

<Conclusio 4>

130. Quarta conclusio est haec: a quocumque gradu caritatis 1450
 finito imaginario vel reali versus extremum quodlibet in infinitum
 posse procedere est necesse. Ista conclusio sequitur ex praecedentibus,
 quae tamen potest sic declarari: in quacumque latitudine sunt gradus
 signabiles qui sic se habent quod nullus est intensissimus nec aliquis
 est remississimus, ibi necessario versus extremum quodlibet posse in 1455
 infinitum procedere est necesse; sed in latitudine caritatis est ita, ut
 patet per secundam et tertiam conclusiones; ergo propositum. Maior
 probatur, nam signato *a* gradu, vel ille est gradus intrinsecus, vel
 extrinsecus. Si intrinsecus, ... contingit dare intensisorem. Si
 extrinsecus, terminans talem latitudinem contradictionem includit. 1460
 Quod non sit maximus nam ubi in aliqua latitudine non invenitur
 intensissimum vel remississimum, ibi est ex utraque parte processus in
 infinitum.

1457 per...conclusiones] Cf. supra n. 25-29.

1465 **131.** Praeterea, in qualibet latitudine imaginarie infinita est a quocumque gradu talis latitudinis versus extremum quodlibet processus in infinitum, ut patet etiam in exemplo. Nam si esset aliqua linea versus orientem imaginarie infinita, et similiter versus occidentem, a quocumque puncto in tali linea versus extremum quodlibet esset processus in infinitum. Nunc autem ita est de caritate,
 1470 quia quacumque data cum minori Deus potest acceptare et similiter cum maiori; quare propositum. Et ex his apparet quod caritas videtur esse forma augmentabilis sine fine. Sed numquid possit esse infinita, alias suo loco dicetur.

<Argumenta Duns Scoti contra positionem auctoris>

1475 **132.** Contra tamen istam positionem, et maxime primam conclusionem quae est fundamentum isitus positionis, arguo per rationes Doctoris Subtilis quas facit, III *Sententiarum* distinctione 13 quaestione 2, ubi probat¹⁴⁷⁷ gratiam animae Christi fuisse summam possibilem potuisse. Arguit primo sic: signetur certa caritas, puta *a*, et
 1480 quaeritur ascendendo: numquid sit processus in infinitum, vel non? Si non, habetur propositum quod aliqua est caritas suprema possibilis et finita. Si sic, tunc sic quanto aliqua magis excedit *a*, tanto est perfectior, et per consequens quae in infinitum excedit *a*, erit infinite perfecta. Et cum Deus viderat talem sicut unum factibile, sequitur
 1485 quod poterit a Deo unica creatione creari, et ita potest esse aliquid infinitum quod non est Deus, quod videtur falsum.

C 102va

1490 **133.** Praeterea, quantum contingit aliquid esse in potentia, tante contingit esse in actu, ut patet per Philosophum, III *Physicorum*, et hoc si sit processus ad formam, quia divisio continui ideo procedit in infinitum quia est versus materiam et potentialitatem; et similiter in numeris proceditur in infinitum quia advenit per divisionem continui. Ergo si sit processus ad formam, necessario est status. Et per consequens cum in ascendendo in caritate data sit processus ad formam, necessario est devenire ad supremam possibilem, et tamen
 1495 erit finita; quare propositum.

1490 **134.** Praeterea, quantamcumque caritatem Deus potest creare, tantam potest creare; subiectum, inquit, includit praedicatum. Ponatur ergo in esse: vel illa erit finita, vel infinita. Non infinita, quia sic esset Deus; ergo finita. Et per consequens summa possibilis caritas est finita, et per consequens non est possibilis processus in infinitum versus extremum perfectius ascendendo, quod est propositum.

1477 Doctoris Subtilis] IOANNIS DUNS SCOTI, *Ordinatio*, III, d. 13, q. 2 (ed. Vaticana ???). **1488** Philosophum] ARIST., *Physica*, III, c. 1 (AL VII-1, 97; Γ, c. 1; 200b 26-27).
1489 divisio continui] ARIST., *Physica*, III, c. 7 (AL VII-1, 131; Γ, c. 7; 207b 16-17).

<Responsio ad rationes Scoti>

135. Ad istas rationes respondeo. Ad primam cum dicitur accepta certa caritate puta *a* et ascendendo, vel est processus in infinitum vel non, hic dicitur quod sic de possibili. Et cum arguitur quod non, quia quante aliquid excedit *a*, tante est perfectius, concedo. Et cum infertur: et per consequens quod in infinitum excedit *a*, erit infinite perfecta, hic dico quod nulla est talis. Unde bene concedo quod *a* caritate in infinitum est aliqua perfectior, et tamen nulla caritas est in infinitum perfectior *a* caritate, sicut quacumque quantitate data contingit dare minorem, et tamen nulla quantitas est minor quacumque quantitate data. Similiter omnis homo est animal, et tamen nullum animal est omnis homo. Et tota ratio est propter variam suppositionem termini quae in uno loco supponit confuse tantum, et in alio loco determinate vel confuse et distributive, et sic appareat quod ratio potius videtur sophistica quam realis.

136. Ad secundum cum dicitur quod quante aliquid contingit esse in potentia, tante etiam in actu, maxime ubi est processus ad formam, dico breviter quod istud forsan concederet^{c 102vb} Philosophus. Sed theologus non oportet concedere quin sit etiam talis processus in infinitum de possibili, cum nulla videatur contradictio quin quocumque dato Deus possit aliquid in esse producere; quare propositum.

137. Ad tertiam cum dicitur quod quantamcumque caritatem Deus potest producere, tantam potest producere, conceditur. Et cum dicitur quod ponatur in esse, hoc non oportet sub propria forma. Sicut si diceretur album potest esse nigrum, ponatur in esse quod album sit nigrum. Sic non debet poni, sed sufficit quod detur una propositio de inesse cuius subiectum sit terminus demonstrativus supponens pro eo pro quod album supponebat. Et sic quando est universalis quae non potest poni in esse sub propria forma, sufficit quod quaelibet singularis eius ponatur saltem successive. Verbi gratia, signo locum in quo nunc sedebo, certum est quod haec est vera ‘omnis homo potest esse in isto loco’, et tamen non debet sic poni in esse ‘omnis homo est in isto loco’, quia est impossibilis secundum viam Aristotelis, quia impossibile est naturaliter duo corpora esse in eodem loco. Sufficit ergo quod quaelibet eius singularis possit poni in esse sic dicendo ‘iste est in isto loco’ et sic de aliis successive. Et ita est in proposito cum dicitur ‘quantamcumque caritatem Deus potest creare, tantam potest creare’. Ista est universalis cuius quaelibet singularis potest verificari sic dicendo ‘Deus hanc caritatem potest producere’, et sic de aliis. Et

1503 Ad primam] Cf. supra n. 132. **1517** Ad secundum] Cf. supra n. 133. **1524** Ad tertiam] Cf. supra n. 134.

1545 quaelibet talis potest successive verificari sed numquam omnes simul. Unde communiter dicitur omne possibile Deus potest producere sed non potest producere omne possibile. Et sic ... rationes possunt salvi secundum logicam satis apparenter. Et sic apparet quid est tenendum de caritatis intensivo processu; quare etc.

<Art. 3: Utrum caritas sit diminuibilis. Conclusio 1>

1550 **138.** Pro declaratione tertii, an caritas videlicet sit diminuibilis, quatuor pono conclusiones. Quarum prima sit ista: infusae caritati non repugnat diminui de Dei potentia absoluta. Haec conclusio sic probatur: nulli formae augmentabili repugnat diminui, loquendo de augmentatione modo superius declarato, et consimiliter de diminutione sibi opposita; sed caritas infusa est augmentabilis isto modo; ergo caritati infusae non repugnat diminui isto modo.

1555 consequentia patet et minor ex praecedentibus. Sed maior probatur, quoniam “opposita nata sunt fieri circa idem.” Si ergo augmentatio alicui competit, sequitur quod sibi diminutio non repugnat, et per consequens propositio maior vera; et ita habetur propositum.

1560 **139.** Praeterea, quaecumque duo distincta realiter, quorum neutrum est pars alterius nec sibi intrinsecum, Deus potest conservare, reliquum destruendo; sed signatis quibuscumque duobus gradibus caritatis concurrentibus ad constitutionem tertiae caritatis, sic se habent quod sunt distincti realiter, nec unus est pars alterius; ergo unum illorum Deus potest conservare, destruendo reliquum. Quo 1565 facto, sequitur quod caritas est diminuta, quia nunc minus denominatur subiectum earum quam ante; quare propositum.

C 103ra

<Conclusio 2>

1570 **140.** Secunda conclusio: infusae caritati repugnat diminui secundum leges practicas nunc currentes. Haec conclusio sic probatur: quia si caritas posset diminui, aut a suo contrario, aut per subtractionem suae causae. Non primo modo, quia contrarium caritati nil aliud videtur nisi peccatum; sed nullum tale potest diminuere caritatem de lege; ergo propositum. Declaratur minor: omne peccatum est mortale, vel veniale; sed veniale non diminuit, quia caritati non repugnat; nec mortale, quia illud tollit totaliter caritatem, aliter staret

1560 conservare] observare C

1556 opposita...idem] ARIST., *Categ.*, c. 5 (AL I-1, 12; c. 5; 4a 10-11); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 302: Opposita habent fieri circa idem.

simul cum caritate, cum esse non potest de lege; quare propositum. Nec potest dici quod diminuatur per subtractionem suae causae, quia Deus nulli subtrahit caritatem sine suis demeritis; quare etc.

141. Praeterea, si caritas posset diminui de lege et non per mortale, non videtur nisi per veniale; sed hoc probo esse falsum; ergo 1580 propositum. Consequentia patet. Declaro quod hoc sic falsum, quoniam si sit possibile, ponatur quod Sortes non habeat nisi veniale et remittit suam caritatem per partes eiusdem quantitatis, tunc in fine certi temporis caritas erit totaliter diminuta ex quo fiebat diminutio per partes eiusdem quantitatis et simus in instanti terminante illud tempus. Et quaero: numquid Sortes sit in caritate, vel non? Si non, habetur propositum et est etiam contra suppositum. Si sic, et pro eodem instanti Sortes non est in peccato mortali; ergo sequitur quod “nec est filius regni nec perditionis.” Et per consequens si decederet, oporteret ei assignare quartum locum qui nec est purgatorius, nec infernus, nec 1590 paradisus; sed hoc repugnat legi; quare propositum.

<Conclusio 3>

C 103rb

142. Tertia conclusio est haec: caritas acquisita diminui potest per cessationem continuam exercitii virtualis. Haec conclusio sic probatur: non minoris permanentiae est habitus intellectualis et scientificus quam moralis seu ethicus; sed per cessationem exercitii intellectualis diminuitur habitus intellectualis, ut experientia docet; ergo propositum. Consequentia patet, et maior quoniam permanentia habitus vel provenit ab obiecto, vel a subiecto, vel ab actu, vel a natura propria. Sed ex nullo illorum¹ unus habitus habet quod sit 1600 permanentior alio. Nam sicut verum ad talem habitum scientificum, ita bonum ad talem habitum moralem. Non a substantia similiter, immo ex illa diuturnior videretur habitus intellectualis, quia intellectus est naturalis potentia, non ita mobilis sicut voluntas. Nec a tertio, quia actus aequaliter transeunt. Nec a quarto, quia neutrum illorum habet 1605 propriam permanentiam sine subiecto. Et per consequens cum unus non videatur altero permanentior, et unus diminuitur ex tali cessatione, sequitur propositum.

143. Praeterea, augmentatio et diminutio sunt contraria. Ergo si dentur duo alia contraria, et unum est causa augmentationis, sequitur 1610 quod reliquum est causa diminutionis. Ista propositio patet per

¹1588 nec...589 perditionis] August., De Trin., XV, c. 18, n. 32 (CCL 50A, 507; PL 42, 1082).

1615 regulam Philosophi communiter divulgata: "si oppositum de opposito et propositum de proposito." Sed de facto exercitium virtuale augmentat habitum caritatis acquisitae; ergo et cessatio talis exercitii erit diminuens talem habitum. Consequentia aptet, et minor est concessa communiter; quare propositum.

<Conclusio 4>

1620 **144.** Quarta conclusio est haec: caritas acquisita diminui potest per frequentiam actus contrarii vel mortaliter infectivi. Haec conclusio sic probatur: quaelibet forma contraria alteri sibi per tempus non repugnans esse in eodem subiecto cum suo contrario potest successive diminuere suum contrarium; sed caritas acquisita et cupiditas sunt contraria, nec repugnant simul stare per aliquod tempus in eodem subiecto; ergo unum potest diminuere aliud et e contra. Consequentia et maior patent. Et minor apparent, quia frequenter homo se sentit inclinatum ad duos actus oppositos simul et semel, puta ad spoliandum Ecclesiam ex cupiditate et ad dimittendum hoc ex amore; ergo oportet quod hoc proveniat ex habitibus contrarie inclinantibus; et per consequens non repugnat eis per aliquale tempus in eodem 1625 simul existere subiective.

1630 **145.** Praeterea, si per frequentiam actus contrarii nullo modo habitus oppositus diminueretur nec e contra, sequitur quod stat continua intensio ex parte duorum habituum contrariorum absque qualicumque remissione ipsorum. Consequens est falsum, ergo et antecedens, et per consequens conclusio vera. Consequentia patet. Et falsitas consequentis probatur, quia tunc staret aliquem summe Deum diligere et ipsum summe odire, quod videtur absurdum. Et per consequens oportet quod unum successive sit alterius remissivum, quod est propositum. Ex quibus manifeste colligitur qualiter et quae 1635 caritas sit diminuibilis secundum statum praesentem.

<Argumenta contra secundum conclusionem>

1640 **146.** Contra secundam conclusionem^{C 103va} quae videtur in hac materia fundamentum arguo aliquibus mediis. Et primo sic: per peccatum mortale diminuitur caritas; ergo propositum. Consequentia patet. Et antecedens probatur, nam signo gradum caritatis in Sorte, et sit gratia exempli ut decem. Et volo quod committat consequenter unum actum demeritorum cuius gravitas sit ut quinque. Tunc isto

1612 oppositum] se add. sed del. C **1636** aliquem] Deum add. sed del. C

1612 si...613 proposito] ARIST., *Topica*, IV, c. 3 (AL V-1, 73; Δ, c. 3; 124a 9); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 326: Sicut propositum in proposito, sic oppositum in opposito.
1642 Contra secundam] Cf. supra n. 140-141.

casu posito, probo quod caritas non tollitur totaliter, sed diminuitur, quoniam nullus debet ultra condignum puniri. Sed per peccatum Sortis non mereretur Sortes nisi privationem gratiae ut quinque. Ergo cum eius caritas sit ut decem, punireur ultra condignum. Et per consequens cum hoc non fiat, sequitur quod puniretur praecise vel ad condignum vel citra condignum. Et quodcumque illorum detur, sequitur quod adhuc sibi caritas ut quinque remanebit et ita est diminuta; quare etc.

147. Praeterea, probo quod per veniale caritas minuatur: quodlibet malum est alicuius boni subtractivum; sed peccatum veniale est malum; ergo est alicuius boni subtractivum, et non naturalis ergo moralis, et non nisi dilectionis Dei; ergo propositum. Probatur istud: quoniam peccans venialiter, vel est ita carus et dilectus a Deo sicut ante, vel non. Si non, habetur propositum quod diminuit de caritate. Si sic, ergo sequitur quod ita bene est alicui cum peccato sicut sine, quod videtur absurdum, quare propositum.

148. Praeterea, quodlibet quod meretur poenam aeternam et successive est caritatis successive diminutivum; sed peccatum veniale meretur vel potest mereri successive ergo propositum. Consequentia et maior patent. Sed probo minorem: nam per certum peccatum veniale quis meretur poenam temporalem. Continuet ergo aliquis illud peccatum per horam, et arguo sic: si isti in primo instanti istius horae corresponderet unum peccatum veniale, propter illud certa poena temporalis deberetur, et similiter in secundo, et sic sine fine infinitae poenae temporales sibi correspondent; sed tales simul redunt aeternam; ergo tali corresponderet poena aeterna propter infinita venalia. Sed ex hoc quod continuat tale veniale per illam horam, non minus peccat quam si talibus peccaret; ergo propositum.

<Responsio ad istas rationes>

1675

C 103vb

149. Ad istas rationes respondeo. Ad primam cum dicitur quod per peccatum mortale diminuitur caritas, nego. Ad probationem admitto casum, videlicet quod Sorti ratione peccati debetur poena sensus ut quinque et ratione gratiae gradus gloriae ut decem si persistenter. Et cum dicitur quod iste punitur ultra condignum cum non meruerit privationem gratiae nisi ut quinque, hic dico pro materia argumenti quod per quodcumque peccatum mortale meretur quis semper aequalem privationem gratiae et gloriae. Unde ita per parvum peccatum mortale quis meretur privationem gratiae sicut per magnum, sed non aequalem poenam sensus. Unde universaliter poena damni

1680

1685

1656 subtractivum] et non venialis ergo moralis *add. sed del. C* **1677** caritas] ad *add. sed del. C*

1676 Ad primam] Cf. supra n. 146.

aequaliter omnibus correspondet, sed poena sensus est varia. Et ita argumentum fundat se in falso fundamento, videlicet quod poena damni, quae est quaedam privatio, sit quandoque maior, quandoque minor. Et ratio est quod semper talis privatio totaliter consequatur, quia quodlibet peccatum mortale est a Deo formalis aversio; et ita habetur propositum.

150. Ad secundum cum dicitur quod quodlibet malum est alicuius boni remissivum, et peccatum veniale est huiusmodi, ergo et non naturalis, ergo mortalis, dico quod absque dubio per peccatum veniale deletur certa circumstantia bona, sed propter hoc non minuitur habitus caritatis. Et cum dicitur quod sic, quia iste non est carus ita Deo post peccatum veniale sicut ante, hic dico quod esse carum potest intelligi vel quoad acceptationem vitae aeternae, vel quoad dilectionem simpliciter. Primo modo ita est carus sicut ante. Secundo modo non, quia ex quo non habet tot bona sicut ante, quia nunc caret certa circumstantia bona quam prius habebat, ideo ratione operis impensi non tantum diligitur sicut ante; sicut Sortes cum pede isto modo est magis dilectus quam ipsem sine pede, non ad acceptationem vitae aeternae, sed modo superius declarato; quare etc.

151. Ad tertium cum dicitur quod si alicui infinita venialia, cum cuilibet eorum correspondit poena temporalis quod omnes poenae eis correspondentes essent simul redderet unam aeternam, et per consequens cum continuatio sit talis, sequitur propositum, hic dico pro materia argumenti primo quod non sequitur ‘infinitae poenae temporales correspondent talibus venialibus; ergo si tales essent simul, facerent aeternam’, immo forsitan non facerent nisi horam.

152. Et si DICATUR quod capiatur veniale comissum per certum tempus et aliud per tantumdem, hic DICO quod per istum modum non procederetur in infinitum eundo per partes eiusdem quantitatis secundum legem corentem, nisi Deus vellet istum aeternaliter sic conservare et continue permetteret venialiter peccare. Sed adhuc totum acceptum continue erit finitum, et ideo si fiat continuatio per horam, proceditur per partes eiusdem proportionis. Et sic similiter augetur poena, et per hoc numquam esset aeterna. Et per hoc sequitur manifeste ista conclusio quod poena aeterna correspondens alicui peccato non correspondet sibi ratione continuationis. Unde si aliquis committeret peccatum mortale solum per instans, ita bene sibi correspondet poena aeterna sicut si continuat per horam. Et per hoc

C 104ra

1697 peccatum] sicut add. sed del. C **1716** permitteret] vulgariter add. sed del. C

1692 Ad secundum] Cf. supra n. 147. **1705** Ad tertium] Cf. supra n. 148.

apparet ad argumenta. Et sic per consequens quid de isto articulo sit tenendum.

1725

<Ad argumenta principalia>

153. Ad rationes factas in principio quaestione. Ad primam cum dicitur quodlibet acceptum aliqua acceptatione formaliter est acceptum, si loquimur de lege currente, verum est. Si vero de potentia Dei absoluta non est necessario. Nam stat aliquid esse acceptum sine acceptatione formaliter inherente, ut patuit per primum articulum. Et cum dicitur quod Spiritus Sanctus non potest esse formalis dilectio creaturae, verum est per modum informationis, sed non vitalis immutationis.

1730

154. Ad secundum cum dicitur per nihil minus bonum quam sit creatura rationalis potest ipsa ad beatificum praemium acceptari, sed creata caritas est huiusmodi; ergo etc., hic dico quod caritas creata potest considerari dupliciter: vel ut est quaedam entitas et habitus naturalis, vel ut instrumentum divinae misericordiae. Primo modo non plus caritas facit aliquem acceptari ad vitam aeternam quam una alia qualitas. Sed quantum est instrumentum divinae misericordiae, verum est. Et ut sic falsum est assumptum, quia Deus per minus bonum potest acceptare maius bonum dispositive; quare propositum.

1735

155. Ad tertium cum dicitur quod si per caritatem quis acceptaretur ad beatificum praemium, tunc per illam quis meretur caritatis augmentum, concedo loquendo de intensione sive augmentatione modo superius declarata. Et quando dicitur quod hoc est falsum, quia tunc caritas non esset forma simplex quod est contra auctorem, *Sex principiorum*, describentem formam accidentalem, hic dico quod licet ad caritatem concurrant multae partes quarum quaelibet est indivisibilis, per hoc non tollitur eius simplicitas, quia ad mentem illius auctoris nil aliud est formae simplicitas nisi excludens compositionem ex materia et forma et eius invariabilitas, quia non stat aliquem primo esse certae perfectionis et postmodum maioris. Et isto modo dicitur invariabilis, aliter non esset verum ut prius apparuit, et hoc sufficit ad mentem illius auctoris. Et sic per Dei gratiam ista

1740

1745

1750

1755

C 104rb

quinta quaestio terminatur.]

1737 creata^{1]} data C **1754** aliquem] esse add. sed del. C **1757** terminatur] explicit
quaestio quinta sequitur consequenter quaestio sexta cum suis articulis add. rubr. C

1727 Ad primam] Cf. supra, q. 5, a. 1, n. 1. **1732** cum dicitur] Dicitur tamen: quoniam increata caritas non potest esse forma alicuius; cf. supra, q. 5, a. 1, n. 1. **1735** Ad secundum] Cf. supra, q. 5, a. 1, n. 2. **1744** Ad tertium] Cf. supra, q. 5, a. 1, n. 3.